This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

MLm 912.80

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE BEQUEST OF

JAMES WALKER
(Class of 1814)

President of Harvard College

"Preference being given to works in the Intellectual
and Moral Sciences"

DE MORHOFIO

LEIBNITII PRAECURSORE

DE

D. G. MORHOFIO

LEIBNITII

IN COGNOSCENDIS LINGUIS
ET GERMANICO SERMONE REFORMANDO

PRAECURSORE.

THESIM PROPONEBAT
FACULTATI LITTTERARUM PARISIENSI

ALBERTUS FÉCAMP

MONSPELII
EX TYPIS LUDOVICI GROLLIER PATRIS

MDCCCXCIV

MLm 912.80

HARVARD COLLEGE
AUG 30 1922
LIBRARY

Walker Fund

UXORI DILECTISSIMAE

Hoc Opusculum

D. D. D.

A. F.

PRAEFATIO

Quamvis magna auctoritate apud Germanos, haud secus atque ceteros Europae populos, Leibnitiana philosophia ab ineunte XVIII° saeculo invaluerit, ipsum tamen philosophum sui cives multo minore gratia longos per annos prosecuti sunt.

Humanum enim et callidum virum, diu ac saepe peregrinatum, cum potentissimo quoque in omnibus externis regionibus vel amicitiae necessitudine vel epistolarum commercio conjunctum, in consilia exterorum regum et principum nonnunquam arcessitum et in arcanis ad rem politicam pertinentibus versatum, tamquam patriae proditorem suspectum habebant ; nihil insuper, nisi quod esset latine aut francogallice conscriptum, in vulgus emittentem patrii sermonis desertorem et contemptorem arguebant. Hunc igitur Klopstokius procul a sua Litteratorum Republica amovebat et Schleiermacherus fastidio habebat, opinatus virum nullo pacto eum fuisse, qui germanice philosophari posset.

Quam ut severam ita iniquam opinionem mutavere subito a Guhrauerio edita Leibnitii *Germanica Opera* et conscriptus de ejus vita liber (1).

---

(1) *Leibnitz's Deutsche Schriften herausgegeben von G. E. Guhrauer*, Berlin, Veit, 1838-1840, 2 vol. in-8° et *Gottfried Wilhelm Freiherr von Leibnitz. Eine Biographie. Von G. E. Guhrauer*, Breslau, Hirt, 1846, 2 vol in-16.

Uno autem impetu a summo fastidio in summum studium conversi, quem diu ultra modum aspernati erant, eum laudibus onerare cœperunt; quem patriae proditorem increpuerant, eum patriae amantissimum agnoverunt; quem patrii sermonis contemptorem reputaverant, eum patrii sermonis reformandi et ornandi studiosissimum fautorem praedicaverunt. Quid multa? increscente in dies gratia, quanti momenti ejus philosophandi ratio ad explicandam et promovendam omnem doctrinam inde a primis XVIII[i] saeculi annis fuisset conscii tandem, nullam mox putaverunt exstitisse disciplinam, cujus praecepta non essent ab eo emendata aut digesta, quin etiam ex toto inventa et constituta.

At in iis potissimum quae ad linguarum studium pertinent, mutata haec opinio omnem excessit modum; namque, si plerisque germanicis nostri saeculi eruditissimis viris credideris, nullam ante Leibnitium linguarum inquirendarum doctrinam aut rationem exstitisse, et quidquid de ea re ante eum sit tentatum ac propositum vana tantum somnia, caeca et turbida incepta, fallacia et incomposita consilia fuisse facile putaveris.

Primus enim, si eis sit fides habenda, sublimi et omnium rerum capaci ingenio ductus, totam linguarum doctrinam « creavit et revelavit », ejus finem perspicue intuitus est et quanti ea momenti ad historiam sit lucide intellexit; primus, excusso hebraici sermonis jugo, vera quaedam de linguarum originibus et connexionibus patefecit easque in certos ordines distribuit; primus, atque in illo saeculo solus, etymologicem in debitum honorem restituit, sanaque inquirendi ratione et definitis legibus donavit; solus tandem, cum plane conscius

esset, penitus delapsam et misere corruptam esse linguam germanicam, vehementerque doleret sermonem patrium contemni ac deseri, ejus restituendi operam recto instituto suscepit et qua via tuto hujusmodi emendatio esset aggredienda monstravit.

Non est profecto infitias eundum eum omnia quae ad linguarum doctrinam pertinent summa semper industria maximoque studio esse prosecutum et de ea duplicem in modum optime esse meritum.

Hinc enim communis cum Lockio haec est ei laus tribuenda, quod eloquii, quam dicunt, philosophiam condidit: illinc conjunctas in omnibus fere orbis terrarum partibus cum eruditissimo et potentissimo quoque amicitias ad utilitatem linguarum doctrinae contulit et undique quamplurima diversissimorum sermonum specimina colligi curavit; quo factum est, ut inaudita antea documentorum copia linguarum studiosis ejus beneficio suppeditaretur. Adde quod ejus auctoritate multi ad inquirendas linguas viri docti novo ardore incensi sunt et rerum ad linguas pertinentium cura, jamdudum apud cultiores et politiores viros imminuta, per eum gratia iterum valuit.

Itaque ejus fautoribus, si non ultra essent progressi, quam ut eum de bene ac sollerter confectis his rebus laudarent, plane ac libenter esset assentiendum.

Sed longe aliter se res habet, ubi ad id venitur, ut perpendatur, quid vere novi et inconcussi, vel ad linguarum origines et cognationes lucidius dignoscendas, vel ad singulos sermones diligentius explorandos et in classes distinctius distribuendos, vel ad etymologicam rationem melius

cónstituendam et etymologias certius explicandas, vel ad linguam germanicam prudentius reformandam et in melius convertendam, ipsius labore et indagatione revera sit effectum. Has enim quaestiones acriter quamvis et studiose tractantem Leibnitium nullo pacto tamen audacem illum et quasi divino spiritu instinctum rerum novarum inventorem et dispositorem fuisse reperiemus, quem ejus assentatores sibi finxerunt aut saltem aliis depingere non dubitaverunt.

Namque omnia, quae de his rebus carptim et obiter protulit, argumenta, ea dudum multi illius saeculi docti viri fuse enuntiaverant et in aptiorem connexioremque modum pertractaverant, quam Leibnitius. Hoc sane in ejus laude ponere decet, quod pleraque exquisitissimo illo dicendi genere ornavit, quo eum conspicuum fuisse constat ; sed si, remota orationis nitida forma, res ipsas potius, ut par est, respexeris, concedas necesse est, cunctas ab eo leviter et cursim tantum attactas, multas temere et inconsulto expeditas, nonnullas vel dubitanter in ambiguo relictas vel prave negatas esse, cum eas jamdiu superiores multi diligenter excussissent, considerate explanavissent, certo ac firmiter constituissent.

Merito igitur Schmarsovius monuit (1), quot et quanta Leibnitio ac Schottelio communia essent, quamquam eum ut intemperantius, ita non satis generaliter judicavisse patet.

Primum enim eo tendere videtur summa ejus argumentationis, ut quasi totum Leibnitium, in iis quae ad commendandum et restaurandum germanicum sermonem pertinent,

---

(1) *Leibniz und Schottelius. Die Unvorgreiflichen Gedanken untersucht und herausgegeben* (Strassburg, Trübner, 1877, in-8°).

ad solum Schottelium referre conetur. At non erat tam angusto et exiguo ingenio Leibnitius, ut sese ad praecepta unius, summa quidem olim auctoritate vigentis, sed illo jam tempore tantulum obsoleti magistri alligaret. Schottelium certe adhibuit, sed plane eadem ratione, qua ceteros ejusdem et insequentis aetatis; ab omnibus enim pariter, vel plerumque vix conscius ipse, quidquid commodum aut opportunum videbatur, quoties res tulit, deprompsit, neque id quibus modis in suam utilitatem converteret, quidquam pensi unquam habuit.

Deinde non in iis tantum, quae ad sermonem germanicum spectarent, sed in omnibus, quae tum de universa linguarum doctrina agitarentur, quaestionibus, Leibnitium superioribus abunde usum esse apparet.

Quod ut plane manifestum fieret, operae pretium esse nobis visum est, si inter se conferrentur Leibnitii et doctissimi diligentissimique inter eruditos illius exeuntis saeculi viros, scilicet Polyhistoris Morhofii, sententiae, et ostenderetur, quaecumque huc spectantia apud Leibnitium reperiantur, ea jamdudum a Morhofio copiose esse enuntiata, immo plerumque multo lucidius firmiusque proposita, ac multo meliore via et ratione deducta et confirmata.

Aegre enim ullum reperias illo tempore linguarum doctrinae studiosum virum, quem aptius et opportunius cum Leibnitio comparare possis. Quippe qui praecipuum opus suum, cui titulus est *Unterricht von der Teutschen Sprache und Poesie* (1), anno jam 1682 publici juris factum, eodem

(1) Kiel, Reumann, 1682, VI-908 p. in-8°. — 2. ed. : Lübeck und Franckfurt, Wiedemeyer, 1700, in-8°. — 3. ed. : Lübeck und Leipzig, Klossen und Wiedemeyers Erben, 1718, in-8°.

animo, quo Leibnitius opusculum *Unvorgreifliche Gedanken* inscriptum, confecerit, ut linguae germanicae jura repeteret, atque, enumeratis ex ordine et aestimatis omnibus, quae jam essent proposita, consiliis, quid sibi in posterum videretur tentandum indicaret. Materiam autem tanta sedulitate congessit, singula huc pertinentia ita penitus introspexit ac fuse explicuit, ut quidquid studii et laboris usque ad illam aetatem inquirendis linguis esset impensum, in ejus libro probe collectum, ordinate dispositum, recte ponderatum invenias.

Quod satis docebit brevis totius operis conspectus: in prima parte, de linguae germanicae dignitate et antiquitate dum contra ceteros sermones disputat, ad id quasi ultro adducitur scriptor, ut quaecumque antea de linguarum ortu et progressu, indole et partitione essent in medium vocata ex ordine recenseat et dijudicet; quo quidem officio dum exquisite fungitur, novam insuper melius instituendae etymologicae doctrinae rationem subtiliter indicat et multis exemplis diserte comprobat. Postquam autem in secunda parte novum etiam nec unquam antea tentatum inceptum adortus est et, brevi omnium recentiorum linguarum et scriptorum historia adumbrata, ostendit quot et quanta inde ad rectiorem germanicae linguae, poesis et eloquentiae institutionem idonea elici possent, in tertia tandem parte totius laboris caput aggreditur et omnes controversas pendentesque illo tempore quaestiones de linguae germanicae grammatica, orthographia, etymologia, syntaxi deinceps pertractat conspicuisque animadversionibus illustrat ; dehinc, in iis quae ad rem metricam et artem poeticam spectant paulo diutius commo-

ratus, nunc de variis dicendi formis atque eligendo peculiari, pro cujusque argumenti natura, orationis genere et verborum delectu, nunc de diversis usurpandorum pedum et componendorum carminum modis fuse et docte disserit eoque semper instituto utitur, ut neglecta et omissa sibi prae ceteris praecipuo studio tractanda sumat, falsa refellat, vitiosa et manca emendet ac suppleat, nova tandem omnis generis consilia, reformandae et ornandae linguae profutura, caute ac provide afferat.

Instituta autem inter similia omnino utriusque viri incepta et consilia hujusmodi comparatione, nobis nequaquam, ut facile intelligitur, in mentem venire potuit, ut quidquid utrique commune esset repertum a Leibnitio utique ex Morhofii libro depromptum esse contenderemus. Quaedam profecto, nec contemnenda quidem, non nisi adhibito Morhofii opere, Leibnitio innotuisse, ut speramus, apparebit; de ceteris manifestum fecisse sat erit, quaecumque a Leibnitio tunc primum excogitata et praescripta esse nonnulli affirmaverint, ea multo ante a Morhofio vel eruta et concepta, vel collecta et digesta, jamdudum publici juris et quasi promiscua fuisse tempore quo Leibnitius de eis meditari cœpit.

PARS I.

DE MORHOFII ET LEIBNITII STUDIIS, QUAE AD UNIVERSAM LINGUARUM DOCTRINAM SPECTANT.

CAPUT I.

QUAE FUERIT XVII° SAECULO STUDIORUM AD LINGUAS PERTINENTIUM CONDITIO.

Summo prorsus studio litterati homines XVII° saeculo ad cognoscendas linguas incubuerunt, at in illa indagatione nondum eas sibi explorandas quaestiones proposuerunt, quas jam antiqui philosophi aggressi erant, multo autem acrius ac felicius Lockius et Leibnitius, ineunte XVIII• saeculo, ex integro adorti sunt atque expedierunt. Quae hodie linguarum philosophia dicitur in incunabulis jacebat nec nisi post longum spatium sui conscia in lucem prodiit.

Mentibus enim praecipue obversabatur ingens linguarum multitudo, quarum novae formae in dies protrahebantur, cum quicumque longinquas terras seu mercandi causa, seu barbaras gentes cognoscendi aut prolatandae religionis studio adibant, in patriam sermonum antea ignotorum exempla diversissima referrent.

Sed, dum documenta suppetebant et augebantur, ea docti nullo alio modo ac prius intuebantur et perpendebant; quo latius notorum sermonum numerus crescebat, eo majore necessitate res tam diversas turbamque indigestam ordinate componere cogebantur, ut genera fierent, per quae cognationes atque, ut ita dicam, filiatio illus-

trarentur. Sic sperabant stemma omnium sermonum tandem confectum iri (1), qua ratione quaestionem, de qua multi omnibus aetatibus desudaverant, se tandem explicare et priscum illum sermonem, quo prisci homines usi essent, deprehendere posse arbitrabantur.

Fatendum est enim, dum studia sensim nova via procederent, seque a considerandis tantummodo iis sermonibus, quos Hebraei, Graeci, Latini usurpassent, averterent, inveteratas duas opiniones perstitisse, quae diu scientiam progredientem moratae sint ac liberam investigationem inhibuerint. Summa fide credebant Hebraicam omnium linguarum antiquissimam esse, « eamdem solam puram et intemeratam, ac ceterarum genitricem ». Quo tamquam pondere onerata atque oppressa ratio aegre procedebat, ac piam opinionem tradendam esse incorruptam posteris putabant, nedum eam impugnare auderent. Ergo unum sibi proponebant, ut quibus vinculis sermo Hebraicus cum ceteris sermonibus (quos vulgares nuncupabant) religari posset, et quibus interpositis ac mediis generibus isti emanassent ab illo, detegerent.

Jam inde a primo initio graecus sermo perinde ac latinus, infra hebraicum positi, privilegio tamen quodam fruebantur, quod cum consuetudo, tum classicarum disciplinarum fautores bene tuebantur : aeque atque hebraicus soli ingenui sermones putabantur, soli digni qui ab erudito homine colerentur ; ceteros pro vulgaribus barbarisque dialectis reputabant nec quisquam eis doctus curam impendebat; Graecos Latinosque imitari satis habebat.

Ex his opinionibus alia, non minus noxia, orta erat : insueverant enim dignitatem cujuslibet sermonis expendere, non ex insita natura (quam dispicere, investigata ejus intima structura, non poterant, neque, si potuissent, curavissent), non ex litterarum monumentis, non ex cultu et humanitate morum, verum ex antiquitatis gradu, quem ei assignare solebant aut jure sibi quisque vindicare videbatur. Itaque, quo propior quivis sermo hebraico existimabatur, eo doctorum curam ac studium magis assequebatur.

Igitur, cum Morhofius causam linguae germanicae agendam sus-

(1) Aut, ut aiebant, *Harmoniam linguarum*.

cepisset, eo adductus est, ut singulas quaestiones, quae apud aequales gratiam adeptae essent, ordine recenseret, atque imprimis de hoc praejudicio tractaret, quo sermones Hebraicus, et Graecus, et Latinus primatum quemdam injuria obtinebant.

Existimationem sermonis hebraici primum atterreret, dehinc graecam ac latinam linguas de loco moveret Morhofius necesse erat, priusquam sua in jura germanicam restitueret eique legitimum locum in liberalibus disciplinis redderet. Cum quaestio tam distincte definiretur, non erat quod philosophorum disputationes intercederent, ac, si quaedam Morhofius in *Polyhistorem*, qui profecto liber reconditiori disciplinae aptior erat, interdum admittit, aut Cartesianus Claubergius (1) rarius profert, nihil inde ad studia promovenda effectum est.

Itaque in eo libro, qui *Unterricht* inscriptus est (2), Morhofius nihil ultra propositum curat, non altiora sequitur; tantummodo de tuenda germanici sermonis causa cogitat. De origine linguarum pauca in *Polyhistore*, pauciora in *Institutione*. Non Morhofius ea, quae Schottelius, assereret : « Die grösseste und vornehmste Gabe, welche die Allweisheit des höchsten Gottes dem Menschen, zur Ersetzung so mancherley Elends, Unglücks und Nichtigkeit, gegeben, werde der Gebrauch des vernünftlichen Verstandes *und sonderlich die Rede* » (3). Hoc animadvertit tantum : « Videbatur haec hominis praerogativa tanti, ut multis Gentilium a Deo orta crederetur; cui quidem opinioni Christiani eo lubentius accessere, quo certius e Scripturis Deum cum Adamo collocutum... sciverant ». Verum propere addit, neque omnes Gentiles neque Christianos de hac re consensisse, ut fuerint Patres Ecclesiae, qui tale munus divinae majestati nequaquam consentaneum putarent, immo « Deo indignum existimarent in Grammaticorum quasi censum deprimi et linguam homines edocuisse

(1) Exempli gratia afferatur sexta Propositio ejus libri, cui titulus est *Ars Etymologica Teutonum* : « A sensibilibus ad intelligibilia quam plurima vocabula sunt traducta ». Cf. Morhofii *Unterricht*, p. 495. De qua sententia fusius infra disserendum.

(2) Quem commoditatis causa in hac dissertatione « *Institutio* » appellare licebit.

(3) *Ausführliche Arbeit*, 58.

credi; ipsummet potius hominem auctorem sui sermonis exstitisse... » (1). Cum ea Morhofius fusius latiusque explicet, lucide apparet eum non aliter sensisse, immo censere quod quidem antea Diodoro Siculo et Gregorio Nysseno placuerit, sermonem opus humanum esse et maximam partem ex onomatopœia originem ducere ; quae sententia, a Platone quondam prolata, rursus postea a Leibnitio in lucem edita est (2).

Minime quidem in re haeret neque rationem plane concludit, sive quod Reformatorum religionem reverebatur, quae non minus quam Catholicorum scrupulosa erat, ipse autem, indole, ut erat, mitis ac lenis, a movendis litibus abhorrebat, sive quod quaestionem ipsam parvi faciebat, intenta libentius ad graviora animi acie.

Properat enim ad ea quae ipsi et aequalibus ejus praecipua vide bantur : sciscitatur num fuerit una lingua primigenia, quae illa fuerit, quis notorum sermonum ei proximus sit ac propterea antiquissimus judicandus.

Ei prefecto non contigit, quod nulli illorum temporum poterat contingere, ut quaestiones reconditas plenius illustraret, quae semper fortasse aliqua obscuritate involutae manebunt, at non fuit irritus ejus labor neque ad nihil recidit. Hoc merito commendabilis est, quod investigandi genere prorsus alio usus est atque omnes quicumque de illis rebus tractaverunt, quia non solum acumine ingenii, sed etiam magna historiae notitia instructus ad materiam accessit. Adde quod purgavit locum, in quo vanae opiniones pullulaverant, quod doctrinae ope fretus falsa quae ferebantur de perpetuitate primigeniae linguae, de jure proprio hebraici sermonis, de fictis quibusdam vinculis, quibus cum ceteris sermonibus connecteretur, egregie confutavit.

Jam antea ultimis XVI[i] saeculi annis, sed multo magis per totum XVII[um] saeculum, scriptores quidam liberiores et audaciores, sed non suis aequalibus prudentiores, traditum a prioribus jugum excutere tentaverant, et privilegium illud priscae antiquitatis aliis tum

(1) *Polyhistor*, T. I, Lib. IV, cap. 1, § 4.

(2) Cf. *Nouveaux Essais*, Livre III, chap. II, § 1 (Ap. Janet, I, 285) et Schmarsow *Leibniz und Schottelius*, p. 27, n. 100.

veteribus, tum recentioribus linguis vindicare. Quae excogitaverant nihil quidem verae rationi profecerant, cum pro defixis penitus erroribus novos errores substituerent; haec tamen libertatis exempla hebraici sermonis auctoritatem antea inviolatam imminuerant et mentes hominum ad utiliorem disserendi rationem suscipiendam quasi praeparaverant atque informaverant.

Nihil opus est hic enumerare quaecumque vana illa aetate de origine linguarum ficta sunt; quorum pleraque jamdiu merita oblivione obruta sunt, ac vix quaedam adhuc memorantur, ut ita dicam, ad posteritatis risum et ludibrium servata. Ceterum ea obit sedulo Morhofius atque errores ex ordine refellit, nunc meritis salibus, nunc, si res postulat, magno solidoque rationum apparatu (1).

Hoc igitur modo recensitis superiorum opinionibus, ipse demum Morhofius in controversiam prodit, et quid sentiat aperte profert: quamquam enim communem hujus aetatis doctrinam secutus, concedit, ut Leibnitius postmodo (2), unam exstitisse primigeniam linguam, ceteras aetatis suae respuit superstitiones et, postquam praecise negavit hebraicum sermonem illum primigenium fuisse, haec insuper addit : « Keine der jtzo bekandten Sprachen... die ersten (lege : erste) gewesen, sondern eine von diesen unterschiedene, von welchen (l. : welcher) alle Sprachen in ihren Wörtern, eine aber mehr als die ander (l. : andere) etwas mit eingemischt haben » (3).

Saepe Leibnitio laudi datum est, quod primus istum penitus insitum errorem arguerit et refellerit, atque afferunt libenter notissimam ejus ad Tenzelium Epistolam (4), ut magni philosophi acumen integerque ac liber animus egregie appareant. Sed, instituta vel

---

(1) Cf., de Goropio Becano, *Unterricht*, 5 et 255-256 atque *Polyhist.*, T. I, Lib. IV, cap. 2, § 5-6 ; de Stjernhjelmio, *Unt.*, 11-12 ; de Lysandro et Daviesio, *Unt.*, 6; de Webbio, *Unt.*, 18-19 ; de Bocharto, *Unt.*, 6 ; etc...

(2) *Nouveaux Essais*, Livre III, chap. II, § 1 (éd. Janet, I, 269).

(3) *Unterricht*, 5-6. — Adeo velociter scribebat, ut oneribus susceptorum laborum oppresso plerumque nulla esset facultas prelo subjectas paginas revidendi; quo factum est, ut ejus liber typographicis mendis refertus sit. Ubicumque igitur manifesta ejusmodi corruptela aliqua occurrit, rectam lectionem uncis inclusam interposuimus.

(4) *Dut.*, VI, pars 2, p. 232 et Feller, *Otium Hanoveranum*, p. 80.

obiter temporum computatione, patet, Morhofium priorem de ea re disseruisse et dubitationem sustulisse: ejus enim *Institutio* anno 1682 edita est, Leibnitii autem ad Tenzelium Epistola anno 1697 scripta. Jam, si velis perpendere utrum scriptum legentium existimationem magis moverit, meminisse decet, Morhofii opus extemplo ad omnes doctos pertinuisse, quo factum sit ut ejus sententia, simul atque edita esset, late pernotesceret; Leibnitii contra epistolam, utpote uni tantum amico in manus traditam, multis annis post mortuum philosophum juris publici factam esse, cum nihil ea jam novi afferret, quod diremptae jamdiu controversiae prodesset.

Sed ipse Leibnitius, vel anno 1697, non ita pridem concesserat in sententiam, quae, cum ab eo in hac epistola tam strenue defensa esset, tot illi defuncto tantasque laudes conciliavit. Superiore enim anno, cum ad Sparvenfeldium quaedam de opere posthumo Patris Thomassini scriberet, his cautis ac circumspectis verbis utebatur: « On attend un ouvrage posthume du P. Thomassin de l'Oratoire, où il prétend nous donner l'harmonie des langues, et en les rapprochant toutes de l'hébraïque, montrer que le genre humain vient tout entier d'Adam. *C'est une grande et belle entreprise* que celle de l'harmonie des langues; mais je doute que ce Père, quelque sçavant et laborieux qu'il ait été, ait pu dignement traiter cette matière » (1).

Nullum ibi reperias verbum, quo Thomassini propositum improbet Leibnitius aut significet illud sibi vanum videri: nec mirum, cum opinionem non nimis absimilem semper ipse foverit (2).

Post aliquot annos, cum Leibnitius, ad propriam de re sententiam progressus, hebraico sermoni, ut ceteris notis sermonibus, jus primigenii, perinde ac Morhofius, denegaret, opinionem iisdem fere verbis atque Morhofius aperuit « de primo illo sermone, qui a ceteris discreparet, a quo ceteri aliquid mutuati essent ». De quo eximium fert testimonium hic locus in *Brevi Designatione,* quae anno 1710

---

(1) *Dut.*, V, 545.

(2) Accidit profecto ut de eo opere, anno 1698 Ludolfo scribens, haec dicat : « Omnes autem linguas ex Hebraica derivare, irritum sane erit studium. » (*Dut.*, VI, 147). Sed librum *Nouveaux Essais* respicienti apparet, totam argumentorum seriem, quae initio capitis II Libri III occurrunt, nihil nisi continuam pro harmonia linguarum orationem praebere.

est scripta : « Illud tamen notatu dignissimum est, per magnam continentis nostri partem *linguae cujusdam latissime fusae vestigia* in linguis praesentibus superesse, cum multa sint vocabula, quae inde ab Oceano Britannico ad usque Japonicum protenduntur » (1).

Nec existimandum, quod sane plerisque in mentem protinus veniat, Leibnitium his verbis linguam quamdam significare, quae illi, quam hodie indo-europaeam vocant, quidquam subsimile habeat; sed hunc revera intuetur primigenium sermonem, ex quo cunctae antiqui continentis, semiticae ipsae, immo, si necesse fuerit, novi etiam continentis linguae ortae sint. Quod, nulla admissa dubitatione aut controversia, hoc libelli *Nouveaux Essais* loco patet : « Or toutes ces langues de la Scythie ont beaucoup de racines communes entre elles et avec les nôtres, et il se trouve que l'arabique (sous laquelle l'hébraïque, l'ancienne punique, la chaldéenne, la syriaque et l'éthiopique des Abyssins doivent être comprises) en ont d'un si grand nombre, et d'une convenance si manifeste avec les nôtres, qu'on ne le saurait attribuer au seul hasard, ni même au seul commerce, mais plutôt aux migrations des peuples. De sorte qu'il n'y a rien en cela, qui combatte et qui ne favorise plutôt le sentiment de l'origine commune de toutes les nations et d'une langue radicale primitive » (2).

Ceterum huic opinioni Leibnitius in omnibus operibus suis indulget nec ullam praetermittit occasionem tam discordes linguarum stirpes, praecipue quod ad vocum origines detegendas spectat, assimulandi. Iterum atque iterum in hoc haeret, easdem esse semiticorum atque europaeorum sermonum radices, nec satis habet, hanc

---

(1) *Dut.*, IV, pars 2, p, 187.

(2) *Nouveaux Essais*, Livre III, chap. II, § 1 (éd. Janet, I, 268-269). — Ut apparet, non dubitat Leibnitius concedere quibusdam propinquitatis vinculis *nostras* linguas cum fennicis tartarisque sermonibus conjuctas esse ; nec satis : facile enim ei quoque placet, similem quemdam nexum cum linguis interioris Africae, nec non Americae statuere. Morhofius quidem animadvertit, nonnulla notari posse vocabula, quae septentrionalibus et americanis linguis communia esse videantur ; at hujus similitudinis rationem, si qua exstiterit, ita elicit, ut antiquissimis temporibus Cimbrorum Scytharumque migrationes ea ad americanas oras detulerint, non autem ut ista linguarum genera inter se a principio fuissent cognata (*Unt.*, 45 et 104).

sententiam, ubi de ordinandis linguarum stirpibus agitur, interponere; verum ab hebraico sermone, seu cum ipse etymologica tentamina affert, seu cum prolatas ab aliis etymologias perpendit, haud cunctanter auxilium petit (1).

Morhofius contra ut inter se pugnantia ita misceat procul abest; concedit profecto non a natura rerum abhorrere, quin hebraicus germanicusque sermones a primigenia lingua communem originem ducant, et, ubi de cujusque eorum antiquitate agitur, litem his verbis circumscripte dirimit, ut arbitretur germanicam linguam hebraicae potius sororem quam filiam esse censendam; at, quid ex ista ancipiti consanguinitate effici cogique possit, si proprium cujusque incrementum per saeculorum seriem respiciatur, non tantum sibi fingit, quantum Leibnitio visum est.

Nullam enim priorem curam agit, quam ut ante omnia statuat hebraicam germanicamque linguas, si modo ab uno eodemque fonte defluxerint, a primo statim tempore diversas iniisse vias ac suo jure suisque legibus singillatim increvisse.

Ea autem potissimum argumenta, quae nonnulli illo tempore ex commenticio quodam « analogismo nominum et rerum » ad statuendam cujusque linguae antiquitatem eruere conabantur, et Leibnitio ipsi in libello *Nouveaux Essais* inscripto ultra modum placere dolemus, Morhofius ut acerrimo ita perspicaci animo repudiat. Hoc tantum incredulus valde et leniter irridens animadvertit, analogismum, si modo inde quidquam probabiliter concludere liceat, diversi generis in unaquaque lingua esse, germanicae non minus quam hebraicae peculiarem adstitisse analogismum, nec alteram, quod ad hunc attinet, altera longius a natura abesse (2).

Quam opinionem deinceps propositi tenax usquequaque servat, repulsis omnibus germanicarum vocum etymologiis, quas tot eruditi ea aetate vel ex analogismo, vel ex antiquo fonte hebraico certatim haurire enitebantur.

---

(1) E multis cf. *Dut.*, VI, pars 2, p. 226 ac praecipue IV, pars 2, p. 188.

(2) *Unt.*, 6-10. — Vix necesse est monere Morhofium, ubi de lingua germanica in hac controversia agitur, antiquissimam semper, minime autem hodiernam ejusdem formam significare, quod profecto multis, Goropio, Becano et Rudbeckio inter alios, in animo erat, cum batavicae, suecicæ aut danicae linguae causam dicerent.

Itaque, disjunctis tam praecise utriusque linguae fatis, sibi consentit Morhofius, dum germanicae linguae eamdem vindicat antiquitatem, quam fere omnes hebraicae tribuere solerent ; Leibnitius contra, postquam in inquirendis verborum originibus aut in statuendo linguarum stemmate hebraici sermonis iterum atque iterum invocavit subsidium, secum ipse pugnare videtur, ubi patrocinium defendendae linguae germanicae exercere instituit, quod ei quidem saepius, ac praecipue, ut ceteros omittamus, in his duobus libelli *Nouveaux Essais* locis accidit : « Si l'hébraïque ou l'arabique y approche le plus [de la langue radicale primitive], elle doit être au moins bien altérée et il semble que le Teuton a plus gardé du naturel (1) » — et : « Bien qu'autrement il [Goropius Becanus] n'ait pas trop de tort de prétendre que la langue germanique, qu'il appelle cimbrique, a autant et plus de marques de quelque chose de primitif que l'hébraïque même » (2).

Apparet igitur Leibnitii sententiam non nisi a deprompta obiter ac summatim rei existimatione defluere, nec ita raro istis vitiari somniis, quibus Becanus, Stjernhjelmius, Rudbeckius famosi facti sunt. Morhofius contra, cum tot et tam diversas linguas inter se promiscuas facere recusat, opinionem diu meditatam et firmis confirmatam argumentis profert, quae potissimum, hodiernae doctrinae re vera praevius, ex ipsa utriusque sermonum generis dissimili natura sumit.

Cum enim ei lucide pateat, quantum inter illas linguarum stirpes in informandis, derivandis, inflectendis vocabulis discrimen exstiterit, hoc praecipue animadvertit ac merito pro gravissima dissimilitudinis causa habet, vocum radicibus plane disparem utrinque inesse indolem, semiticam nempe radicem triplici consonante necessario constare, europaearum autem et multarum asiaticarum linguarum radices natura monosyllabas esse. Nec fugit eum insuper quae in informandis aut flectendis semiticis vocabulis genuina vis sit vocalibus tribuenda. Quin etiam qua lege et qua causa illae commutentur, qui sit hujus commutationis, quod ad significationem pertinet, effectus in semitico sermone fere lucidius perpexisse vide-

(1) *Nouveaux Essais*, éd. Janet, I, 269.

(2) *Ibid.*, I, 274.

tur, quam in europaeeis asiaticisque linguis, ubi de ea vocalium deflexione, quam *Ablaut* vocant, eum non ita perspicue sensisse fatendum est (1).

Postremo non satis habet linguarum semiticarum seriem, ut Leibnitius plerumque fecit, ex ordine, si qua datur occasio, ac nominibus tantum percensere atque enumerare. Postquam autem de unaquaque ita diligenter disseruit, ut manifestum sit nihil ipsi ignotum fuisse, quod ad cujusque origines, structuram, grammaticam spectaret (2), doctissime explanat quo intimiore nexu cunctae inter se cohaereant, et collatis, quas de unaquaque collegit, notionibus, Stjernhjelmio tunc optimo jure assentitur, novoque ictu fictum linguae hebraicae primatum concutiens, hoc modo demum concludit : hebraicum sermonem nihil aliud esse, nisi unam e multis semiticarum linguarum dialectis, nec sibi, cum de antiquitate agatur, quidquam amplius vindicare posse, quam quod ceteris ab eadem stirpe oriundis linguis conceditur, nullam autem peculiarem praecipuae antiquitatis notam prae se ferre. Quae argumenta profecto graviora reputaveris, quam vacillantes et incertas, hinc illinc de improviso allatas a Leibnitio opiniones.

(1) Cf. *Polyhistor*. T. I, Lib. IV. cap. 5 et *Unt.*, 109-110.
(2) Cf. *Polyhistor*, T. I, Lib. IV, cap. 5 et *Unt.*, 45.

CAPUT II.

DE MORHOFIO GERMANICAE LINGUAE CONTRA GRAECAM ET LATINAM DEFENSORE; DE ASIATICA LINGUARUM EUROPAEARUM ORIGINE, NEC NON DE SCYTHICA LINGUA ET CELTICIS SERMONIBUS.

Inter praecipuas dissimilitudinis notas, quibus manifesto appareat, quantum inter se distent semiticae et europaeae linguae, Morhofius, ut supra dictum est, hanc merito ponit, quod linguarum europaearum radicibus genuina est monosyllaba forma, et animadvertit insuper, non sine aliquo jure, illam radicum indolem pro peculiari quodam antiquitatis signo habendam esse; quod quidem argumentum statim, ut res ferebat, ad germanicam linguam accommodat. Postquam enim commemoravit vix alteri sermoni tot inesse monosyllaba vocabula, hoc potissimum contendit, nullam fere inveniri linguam, in qua vox quaelibet, si modo eam terminatione exueris, puram ac primitivam radicem tam facile ac lucide praebeat (1); de qua opinione, quae in *Institutione* non semel occurrit, accuratius disserendum erit, cum de ejus studiis ad etymologiam pertinentibus agetur.

Etiam Leibnitio sane venit in mentem, propriam et ab aliis omnino diversam speciem semiticas radices praebere, quamquam eum suus ad analogismum ubique adhibendum nimis pronus animus eo interdum adducit, ut dissimilitudinem istam in inquirendis etymologiis minus respiciat. His enim verbis, ut exemplum afferam, quid de re sentiat in epistola ad Tenzelium missa exponit: « Semper judicavi ad Hebraeam recte noscendam necessario adhibendas esse Syriacam et Arabicam, sed ex omnibus tamen conjunctis non puto radices exsculptum iri cohaerentes inter se, et rationem significatus ostendentes, quod linguae primitivae criterion haberi debet » (2).

---

(1) *Unt.*, 81.
(2) *Dut.*, VI, pars 2, p. 232.

Quae, cum jam pateat quantum sint, ex parte, cum nonnullis Morhofii sententiis consentanea, consimiliorem adhuc in modum in opusculo *Unvorgreifliche Gedanken* inscripto sic iterat : « Und weiln die Teutsche Sprache vor vielen andern dem Ursprung sich zu nâhern scheinet, so sind auch die Grund-Wurtzeln in derselben desto besser zu erkennen » (1).

Morhofius autem, prudenti ubique usus animo, cavet semper ne quid nimis dicat et hanc controversiam de hebraicae aut germanicae linguae primatu ultra justos fines persequatur, immo eam plerumque breviter attingit et quasi consulto properans percurrit, nunquam ambiguitatem desipienti et deliro quodam proposito, ut multis illa aetate mos erat, diducere conatus (2).

Nempe ei non hoc maximi erat momenti, ut germanicae linguae dubium quemdam antiquitatis primatum prae hebraica vindicaret; satis habebat, si sibi pro comperto reputare liceret, utrumque sermonum genus a primigenia lingua pariter ortum esse et a primis jam incunabulis, eodem saltem temporis decursu ac pari sed diverso et libero tractu, propriam iniisse viam et paulatim pro parte sua increvisse. Quibus concessis, commode et naturali quadam ac velut necessaria conclusione cogi efficique poterat, quae quidem ipsa totius litis summa erat, germanicam linguam antiquitate et graecam et latinam multo superare ; nec jam aliud, ad totam obtinendam causam, reliquum erat, quam ut ostenderetur, utrumque sermonem, graecum scilicet et latinum, perinde ac ceteras, quas vernaculas vocarent, linguas, a barbaro fonte, scythico nempe, manavisse, quem a prima origine cum germanico unum eumdemque fuisse constaret.

Quod enim ad redintegrandam germanicam linguam spectabat, non multum reipsa intererat, hebraicum, antiquissima praeditum religione, tamquam singulare ac secretum quoddam humani eloquii genus coli et istum, ut ita dicam, eximiae sanctitatis nimbum servavisse. At graeca, et praecipue latina lingua (nam graecae eo usque tantum ratio est habenda, ut ei opinione quidem aequam cum

(1) § 50.
(2) Cf., exempli gratia, quam restricte loquatur in *Institutione*, p. 4-5.

latina reverentiam praestarent, re vera autem multo minorem operam impenderent eruditi) sese eo tempore germanicae inimicissimam infestissimamque praebebat.

Memoria profecto praeteriti splendoris et longa verecundiae consuetudine, multo magis quam justa et prudenti meritorum aestimatione nitebatur apud doctos illius saeculi viros illarum linguarum auctoritas, quae quasi natura classicae vel antiquae appellabantur hodieque appellantur, quasque solas puras et ab omni barbariae colluvie immunes reputabant; sed eo audaciori et inconsultiori mente ceteras contemnebant, quas barbaras et novas vocabant et omni cultu et cura ob nullam aliam causam indignas arbitrabantur.

Hoc igitur summi erat momenti, ut everteretur primum ista opinio et manifestum fieret classicas quoque linguas ex eodem barbarico fonte esse ortas, ex quo originem ducerent vernaculi sermones, nec aliter atque hos, longum per temporis spatium, barbariae nota illas fuisse affectas, quin etiam easdem, eo ipso tempore quo maxime niterent, nihil aliud fuisse, nisi arte sensim ficta et cultu paulatim ornata dicendi genera, plebeiis dialectis etiamtunc et integritate et primitiva indole longe postponenda. Hujus generis argumentis aptissimum in modum vernaculae quaeque linguae, ac praecipue germanica, rursus in sua jura restituendae et antiquis aequiparandae erant, sic demum germanicis eruditis erat demonstrandum, propriam linguam non minore cultu et studio dignam esse, quam classicos sermones, et eam, si modo pro debito coleretur et ornaretur, haud secus ac francogallicam vel italicam eo breviter adduci posse, ut apta ad cujusque artis, philosophiae, historiae, eloquentiae et poesis facilem decoramque explicationem fieret.

Plus certe profecissent eo tempore ad restaurandam et ornandam linguam, ut saepe notatum est, ingeniosi alicujus scriptoris exemplum, impetus atque auctoritas, quam omnia undique surgentia eruditorum reformatorum tentamina et consilia innumeraeque eorum, qui causam germanicae linguae elatis verbis agebant, adhortationes. At ea erat tunc in Germania litterarum, morum ac vitae communis conditio, ut nullus praestantior et universa auctoritate praeditus emergeret auctor, cujus impulsu rectius instauraretur dicendi genus, in hoc autem communi ingeniorum et operum mediocritate, patrii sermonis salus maxime, ne dicam unice, ab eruditis

viris ac potissimum ab iis penderet, qui, Academicum magisterium adepti, totam fere humaniorum juvenum institutionem et disciplinam quasi in manibus tenerent. Quam rerum rationem si ita consideraveris, non infitias iveris Morhofii gravius nonnunquam et onerosum opus ad conciliandos linguae germanicae studiosos diligentesque fautores majorem vim habuisse, quam ampla poetarum praeconia aut procacia satiricorum scriptorum carmina.

Audacius quidem, quin etiam temere omnino, praecipue autem in initio operis, Morhofium rem aggressum esse reputaveris, cum sese protinus probaturum jactet, ab antiquissimo sermone germanico graecam linguam pariter ac latinam originem ducere; reipsa autem, ut mox planius apparebit, huc revertitur tota ejus disceptatio, ut multo moderatius concludat firmisque argumentis atque apte allatis exemplis demonstret, quod ut infitietur nemo certe nostra aetate committet, omnibus istis linguarum speciebus unum et communem, barbarum scilicet, fuisse fontem.

Neque vero obliviscendum, ea quae, ut nobis hodie videtur, immodice, ne dicam absurde, asserit initio Morhofius, a multis illius aetatis, et eruditissimis quidem, viris fuisse ultro admissa et plane asseverata (1), inter quos primum obtinet locum Leibnitius, cui de teutonica origine graecae et latinae linguae nunquam dubium fuit.

Quin etiam ea ipsa asseveratione multo magis quam ceteris et scientiae et inventionis meritis apud illius aetatis homines gratiam obtinuit Morhofianum opus et, cum multos per annos extollerentur ejus eruditio rariorisque doctrinae copia, id ei potissimum laudi est datum, quod insueta eousque auctoritate germanicam linguam in sua jura restituisset manifestumque tandem fecisset, ab ea graecam latinamque linguas esse oriundas (2).

Erret tamen valde qui existimet Morhofium, classicis litteris, ut

---

(1) Cf. longam, quamvis inchoatam tantum, eorum enumerationem apud Omeisium, *Gründliche Anleitung*, p. 364. — Ipse Johannes Ihre, Ulfilae doctissimus editor et commentator (1707-1780), ubique graecum sermonem perinde ac latinum a gotico derivat (Raumer, p. 203).

(2) Cf. Fabricius, *Historia Bibliothecæ Fabricianæ*, VI, 290; Moeller, *Cimbria litterata*, III, 483 sqq. et Reichard, *Versuch einer Historie der deutschen Sprachkunst*, p. 264-269.

qui maxime, imbutum, historiae vel veteris vel recentioris peritum, et eximio insuper ingenii acumine raraque judicii prudentia praeditum, ad id unquam dementiae esse lapsum ut contenderet, hanc graeci latinive sermonis formam, quae apud optimos auctores occurrit, a germanico vel antiquissimo esse derivandam. Quo enim tendant et quomodo sint intelligenda quae de mutua omnium necessitudine disputet, ipse, ubi res poscit, dilucide exponit et summa cum diligentia notat sibi nullo modo venisse in menten, ut ambos sermones uno tenore et quasi acervatim a germanico ducere vellet. Fatetur contra ultro eos, non modo multo antequam litterae apud Graecos Romanosque florere cœpissent, propriis viribus et peculiari incremento invaluisse, sed etiam postea saepius ad ipsam germanicam linguam augendam et inflectendam contulisse, quod praecipue latinae contigerit, quae Germanis multa dederit vocabula, sive allata simul in Germaniem christiana religione, sive recepto ab Imperatorum Germanorum cancellariis linguae latinae usu (1).

Igitur, cum affirmat graecam latinamque linguas ex parte (2) ad germanicam originem esse referendas, nihil aliud significat, nisi permultas utriusque linguae radices cum germanicis radicibus congruere (3), cuncta æque ab eodem barbaro fonte defluxisse (4), germanicam autem linguam communi origini propiorem remansisse, cum graeca latinaque, assiduo litterarum studio excultae et humanitate perpolitae, at simul paulatim mutatae, deformatae et intendum depravatae (5), pro junioribus sermonibus, prae integro et vetustissimo germanico, sint habendae (6). Ceterum quo redeat vere tota ejus disputatio, ipse distincte indicat, ubi primum, omissis iis quae a principio paulo audacius affirmaverat, ad documentorum disquisitionem accedit et res etymologicas tractandas aggreditur ; nec jam quidquam contendit, nisi germanicum sermonem graeco latinoque

---

(1) *Unt.*, 51.

(2) *Ibid.*, 4, 68, 121.

(3) *Ibid.*, 26-27, 85-87.

(4) *Ibid.*, 23-25, 74-77, 90-91. — Plura reperias infra, ubi exponetur Morhofii sententia de lingua scythica.

(5) *Unt.*, 77-78, 83.

(6) Ibid., 4, 74-76.

sermoni parem esse, et omnibus istarum linguarum vocabulis communem esse originem (1).

Fatendum est quidem Morhofium, cum de ortu et progressu illarum linguarum dissereret, non multo lucidius vidisse, quam Leibnitio contigit, cunctarum vices cognationesque et affinitates confuse tantum et perturbate ei apparere, atque ejus sententiam praecipue ideo quadam dubitatione et fluctuatione laborare, quod omnes temporum rationes et ordines ignoraverit et imprimis de flexionum natura et processu omnino erraverit. Quibus tamen concessis, non est negandum ab eo de istis linguis inter se conferendis multo rectius ac moderatius, quin etiam multo providentius, quam a plerisque aequalium, esse disputatum.

Paucorum enim eorum est adscribendus numero, quibus illa aetate in suspicionem venit, fieri posse ut ex asiatica communi origine totum hoc linguarum genus deduceretur, quas nunc aryanas vel indo-europaeas appellamus, et cum ei nondum liceret sanscritam etiamtum ignotam linguam in testimonium vocare, eum saltem non fugerunt quae tunc primum evulgabantur de persico sermone pauculae et mancae notiones. Quibus diligenter collectis et recensitis, cum Boxhornio et Blancardo notat multas germanicas radices mire congruere cum persicis quibusdam vocibus, quae passim apud Curtium aliosque veteres historicarum rerum scriptores occurrunt, quasque Burtonius, originis earum tamen parum conscius, collectas ediderat et explicare tentaverat; Salmasio pariter et Elichmanno assensus, persicae linguae cum germanica convenientiam extollit, memorans praecipue persicae linguae innumera inesse vocabula, quae eadem in graeco, latino et germanico sermone reperiantur; haud minus J. Graevii opinionem laudat, qui linguam persicam, in iis quae ad syntaxim pertinent, multa cum britannico vel potius germanico sermone communia praebere judicaverat. Allegatis in hunc perspicuum modum doctissimi et rerum persicarum peritissimi cujusque judiciis, Picarti demum sententiam amplectitur, qui Germanos et Persas inde ab origine *fratres* fuisse putabat et his Salmasii

(1) *Unt.*, 73, 83, 87, 148-150; cf. insuper totum Libri I capitulum 7, p. 120-150.

verbis concludit : « ex eadem origine fluxisse Germanicam et Persicam linguam » (1).

Quin etiam, tam recta jam auspicatus, longius procedere non dubitat, et, testimoniis nixus, quae Vulcanius e Busbequii narrationibus de Gotorum in Taurica Chersoneso superstitum lingua deprompserat, germanicum sermonem antiquissimis temporibus in tota regione, quae a Ponto Euxino ad septentriones vergit, immo in ipsa Asia fuisse usurpatum opinatur, subitoque quasi instinctu : « Fortasse et inde, inquit, ille est ortus; quod quidem diligentius, quam hucusque evenit, investigare haud abs re esse existimaverim » (2).

Leibnitio quidem suppetebant eadem documenta, quae Morhofio, eademque reperitur apud eum fontium et auctorum enumeratio; multum tamen abest ut ille ita diserta et probabilia inde colligat argumenta aut sententiam suam pari strenuitate expromat. Cujus profecto studia et exspectationem moverunt quae de Gotis Cherronensibus narrabantur; postquam autem, solito more, diu *haesit*, quid de re sentiendum esset incertus, Ludolfi opinionem sciscitatur (3) et ad Podestam confugit (4), ut certiores de iis notitiae colligantur; mox vero, rescriptis litteris, ut videtur, parum contentus, vel nota animi volubilitate raptus et ad alia jam sollicitatus, quaestionem praetermittit ac derelinquit, ne conatus quidem inde quidquam elicere, quod ad linguae germanicae antiquissima fata et pristinam propagationem spectaret. Vix quaedam incerta satis et incondita de nonnullis vocabulis delineat, quae Tartaricis sermonibus cum Persica lingua communia esse viderentur.

De ipsa autem Persica lingua quoque, quandiu vixit, ambiguus, ut ipse dicere solet, *haesit,* ad contraria vicissim vergente sententia,

---

(1) Cf. *Unt.*, 40-43 et *Polyhistor*, T. I, Lib. IV, cap. 5, § 9.—Cf. etiam Raumeri, p. 95.

(2) *Unt.*, 39. — Quam sententiam, diuturno statim silentio obrutam et quasi dormitantem, Adelungius tandem in opere *Mithridates* inscripto iterum fortuna meliore suscepit. Cf. Benfey, *Sprachwissenschaft,* p. 274, et Raumer, p. 240. — De Gotis Cherronensibus cf. praecipue H. F. Massmann, *Gotthica Minora* in *Zeitschrift fur deutsches Alterthum*, I, 345-366 et Tomaschek, *Die Goten in Taurien* (Wien, Hœlder, 1881, in-8°),

(3) *Dut.*, VI, 105-111.

(4) *Ibid.*, VI, pars 2, p. 228-231.

nec quidquam definitum sibi inde elici posse visus, quamvis « Elichmanni et Salmasii fidem in dubium vocare non auderet »; ad hoc demum confugiens, ut fateretur sibi hanc « cognationem » non ita perspicuam apparere, quam viris doctis esset visa (1).

Postremo, cum ipsum non fugeret nullam esse viam qua tot et tam certa documenta tollerentur vel imminuerentur, rei probabilem quamdam conatur excogitare interpretationem, miram quidem omnino et ei, quam Morhoflus feliciter proposuerat, directe contrariam. Nihil aliud enim ei in mentem venit, nisi vocabula ista in Persicam linguam a germanicis coloniis fuisse allata, a Parthis nempe, ex Scythia exsulibus, in Persidem fuisse introducta (2). Mutato quidem loco, mutatur et ipsa ejus opinio, aut potius opinionis adumbratio, et mox reperias aliam explanandae difficultatis rationem, Persis inter scythicas nationes adscriptis (3), quo fiat ut eos e scythico « vel germanico » fonte oriundos reputare possis et eorum lingua, una cum Armena et Georgiana, « mixtura quadam ex Scythis et Aramaeis, tanquam in confinio, nata videatur » (4).

Nempe hoc ei potissimum placere apparet, ut omnes gentes ex extremis septentrionalium regionum latebris in Europam et Asiam migravisse statuat, cumque ei quodam loco admittere contingat « homines ex Asia in Europam venisse » (5), hujusmodi migrationem a se tantum ideo probandam profitetur, quod eam « ex Scripturae Sanctae auctoritate assumat », minime autem eo animo, ut inde quidquam de linguarum stemmate constituendo tentetur.

Quemadmodum enim unam omnium gentium « vaginam » Scythiam agnoscit (6), unde egressae sint cunctae hominum catervae, quae postea Europam et Asiam coloniis impleverint, eoque tantum

---

(1) *Dut.*, IV, pars 2, p. 189; VI, 121, 299; VI, pars 2, p. 127; *Unv. Ged.*, § 44.

(2) *Ibid.*, IV, pars 2, p. 189; VI, 111 et 199. — Quin etiam ab ipsis Gotis multa in Persicam linguam vocabula fuisse allata in libello *Unvorgreifliche Gedanken* suspicatur (§ 44).

(3) *Dut.*, VI, pars 2, p. 187.

(4) *Ibid.*, IV, pars 2, p. 189.

(5) *Ibid.*, IV, pars 2, p. 199.

(6) *Ibid.*, VI, 105.

sensu concedit quosdam populos esse « ex Asia petendos », ita unam omnium linguarum matrem Scythicam ponit nec ullam aliam ei in mentem venisse judicaveris, cum quodam *Brevis Designationis* loco notat « per magnam continentis nostri partem *linguae cujusdam antiquae latissime fusae* vestigia in linguis praesentibus superesse; cum multa sint vocabula, quae inde ab Oceano Britannico ad usque Japonicum protenduntur (1) ». Nec repugnant quae multos post annos in libro *Nouveaux Essais* inscripto reperias. Postquam enim eadem omnino, quae in *Brevi Designatione*, gallice tantum translata, repetiit, varias in latis septentrionalis Europae et Asiae regionibus sparsas linguas uno adspectu complexus, finnicae quoque, hungaricae, quid multa ? cunctis tartaricis linguis eamdem, quam ceteris Europaeis, originem tribuit scythicam (2).

Morhofius quoque, ut jam supra dictum est, quamdam memorat priscam linguam, ex qua recentiorum quaeque peculiaria quaedam retinuerit, accuratissime autem cavet, ne eam permixte cum scythica implicet; immo, cum eam jamdiu interiisse existimet et recentiorem quamque separatim ac pro parte sua ortam et auctam esse censeat, scythicam sibi tantummodo tamquam antiquissimum cunctarum, quae europaeae dicuntur, fontem fingit (3), eam autem et persicam ea ratione cognatas fuisse arbitratur, ut scythica, vel potius germanica, ex iis regionibus, scilicet Asia interiore, sit petenda, ubi persica quoque primum exstiterit, minime autem, Leibnitiano more, contendit, persicam ullo tempore a scythica impulsam et inflexam esse, aut, quod Leibnitio demum placere videtur, ab ea originem ducere.

Scythicam igitur linguam, omnium europaeorum sermonum matrem, Morhofius in tres praecipuas dialectos dividit : primam germanico-goticam, quae fere nihil aliud sit nisi ipsa scythica ; alteram celticam, initio a germanica vix discrepantem; tertiam graeco-latinam (4). Propositam igitur jamdudum a Boxhornio linguarum e scythica oriundarum distributionem Morhofius, ut ipse ingenue profitetur, integram assumit, hoc tantum pluribus verbis praedicans,

---

(1) *Dut.*, IV, pars 2, p. 187.

(2) *Nouveaux Essais*, éd Janet, I, 268-269 ; *Dut.*, VI, pars 2, p. 154.

(3) *Unt.*, 48.

(4) *Ibid.*, 68.

germanicam scythicamque ab initio unam eamdemque linguam fuisse, et, quod ad aetatis privilegium pertineat, germanicae prae celtica aut graeco-italica primas partes esse tribuendas (1).

De celtica quidem, perinde ac Boxhornius ceterique illius et insequentis aetatis scriptores, incerta tantum et parum definita exponit, nec lucide satis constituit, quem ei locum inter socias dialectos tribuat. Modo enim eam omnino cum ipsa scythica confundit (2), aut Celtas pariter ac Belgas, contra Caesaris et Taciti auctoritatem, germanicis gentibus adscribit putatque eorum dialectum germanicae vix absimilem, immo ferme ita proximam fuisse, ut suecica hodierna recentiori teutonicae est (3), modo celticam linguam cum latina artius confert et eam opinatur in informandis latinis vocabulis plurimum invaluisse (4).

Ex quibus in contraria cadentibus sententiis plane apparet eum, haud secus ac paulo post Leibnitium, truncis quibusdam documentis, quae de celticis gentibus traderentur, anxie quidem collectis sed plerumque perverse explanatis, aut vocibus celticis, quae passim apud varios scriptores occurrerent, temere adhibitis, id demum aegerrime assequi, ut ex obscuris historiae documentis multo magis quam e diligenti linguarum scientia et pervestigatione haud prorsus probabilem quamdam conjecturam ducat. De istis enim linguis, ut plerique illo tempore fecerunt, Morhofius nihil fere nisi auditu comperta refert et hoc tantum, quod ex alio quodam libro deprompsisse videtur, paulo certius affert, Galliam hodie habitantes Britones cum populis Walliae (seu Cambriae) et Cornuvaliae artissimo consanguinitatis nexu esse conjunctos, et in his regionibus antiquissimam celticam linguam primum anglo-saxonica, deinde anglica esse in dies magis ac magis retroactam (5).

Eadem, ut jam diximus, de istorum sermonum exordio occurrit apud Leibnitium haesitatio. Postquam enim sibi primum scythicam linguam per tot et tam immensas regiones initio diffusam et propa-

(1) *Unt.*, 26.
(2) *Ibid.*, 6.
(3) *Ibid.*, 30-31.
(4) *Ibid.*, 29-33.
(5) *Ibid.*, 30-35, 40.

gatam finxit, multo modestius mox de eadem sentit, ubi ad considerandam linguarum europaearum originem venit. Nam, tum Boxhornii Morhofiique doctrimam amplexus, scythicae linguae propagandae rationem et modum ita artis finibus terminat, ut, omissa jam omni linguarum asiaticarum mentione, eam tantummodo pro europaearum matre habeat. Igitur « vocabula innumera Graecis, Latinis, Germanis, Gallis communia ad origines communes ex Scythia » refert (1), scythicamque linguam, Boxhornio Morhofioque denuo assensus, in tres praecipuas dialectos partitur : germanicam, celticam, graeco-latinam (aut potius graecam; latinam enim, ut mox videbimus, partim e celtica et graeca, graecam autem ex ipso septentrionali fonte oriundam censet) (2).

De celtica, quam quidem jam a Boxhornio et Morhofio minus accurate definitam et descriptam vidimus, omnino confuse etiam disserit Leibnitius; nunc enim ei « celticum est quod commune germanico, latino vel cambrico » (3), ex quo conficitur, ut celticam fere pro communi ceterarum fonte et quasi ipsa germanica antiquiorem reputare videatur; quae opinio ei tum ita placet, ut « sub Celtarum nomine comprehendat Germanos Gallosque veteres » (4) ; nunc omnino contrarium constituit europaeorum populorum stemma, quippe qui in *Brevi Designatione* dicat : « Gallos a Germanis, Germanos a Scythis ortos credibile est » (5). Has tamen cognationis rationes, vix ab ipso propositas, alio statim loco aliter rursus imaginatur affirmatque Celtas « fuisse consobrinos Germanorum, atque Graecos subconsobrinos » (6). Atqui, versa denuo pagina, vertitur et ipsa opinio et celticae linguae medium assignat Leibnitius locum inter germanicam et latinam, eamque « semi-germanicam » fuisse declarat, « sicut latinam semi-graecam » (7). « Latinos ex connubio

---

(1) *Dut.*, VI, pars 2, p. 87 ; *Nouveaux Essais*, éd. Janet, I, 268.

(2) *Ibid.*, VI, pars, 2, p. 154 ; cf. 87 et 195.

(3) *Ibid.*, VI, pars 2, p. 154.

(4) *Ibid.*, VI, pars 2, p. 154 ; cf. VI, pars 2, p. 86-87 et *Nouveaux Essais*, éd. Janet, I, 268.

(5) *Ibid.*, IV, pars 2, p. 193.

(6) *Ibid*,, VI, 168.

(7) *Ibid.*, V, 502-503 ; cf. 479 et VI, pars 2, p. 87, 96 sqq., 126, 195.

graecoceltico natos » putat (1), et « ex Celtis, id est Germanis Gallisque... Italiam... habitatores accepisse » (2).

Non nostrum est, inter tot et tam discordes sententias, quam ad extremum veram reputaverit dijudicare.

Pauca denique, quae de ipsis celticis sermonibus affert, plane cum iis congruunt, quae jam apud Morhofium invenimus. Nam nihil aliud fere certius dicit, nisi Britonum nostratium sermonem cum Walliae et Cornubiae dialectis esse cognatum (3) ; linguam veterum Gallorum ei affinem et proximam fuisse, quae in Britannia minore et in quibusdam Britanniae majoris partibus supersit (4), nec ejusdem reliquias usquam magis quam in Aremorica aut Wallica spectari (5); Wallicam autem vel Aremoricam, quam ipse haud indiligenter inspexerit (6), « multum ex Germanico traxisse (7)» et « semi-germanam agnosci » (8).

---

(1) *Dut.*, VI, 68; cf. IV, pars 2, p. 193-194.

(2) *Ibid.*, IV, pars 2, p. 193; cf. *Unt. Ged.*, § 43.

(3) *Nouveaux Essais*, éd. Janet, I, 268.

(4) *Dut.*, IV, pars 2, p. 195.

(5) *Ibid.*, id. p. 193.

(6) E ceteris cf. ejus *Glossarii Celtici Specimen, sive Cogitata ad Lexicon Cambro-Britannicum a Daviesio confectum*, in quo quidem cujusque vocabuli inquisitio ad id potissimum tendit, ut quam plurimae celticae voces ad germanicam originem referantur [*Dut.*, VI, pars 2, p. 96-129].

(7) *Dut.*, IV, pars 2, p. 193.

(8) *Ibid.*, VI, pars 2, p. 87 et 195.

CAPUT III.

DE GRAECA, LATINA ET ROMANICIS LINGUIS.

Constituto in illum, quem supra vidimus, modum linguarum europaearum stemmate, Morhofius haud aegre sermonem hellenicum ad istam barbaram originem refert, quae ipsi semper praecipuae curae est. Et ei quidem argumenta documentaque ultro praebent omnes antiquiores philosophi rerumque historicarum scriptores. Juvat eum in testimonium vocare nunc Aristotelem (1) memorantem « philosophiae munus a barbaris initia sumpsisse, ejus enim auctores, inter ceteros, Celtarum seu Gallorum Druidas et eos qui Semnothei appellabantur, exstitisse et Galliam Graeciae magistram fuisse », aut Platonem (2), Socratis ore in *Cratylo* monentem, « multa nomina Graecos a barbaris, eos praesertim qui inter barbaros habitarent, accepisse »; nunc Herodotum (3) existimantem, « barbara lingua usos esse Pelasgos », aut Strabonem (4) narrantem, « Graeciam olim a barbaris habitatam ipsosque Pelasgos barbaros fuisse »; Varronem (5) deinde agnoscentem, « a barbaris Graecos alphabetum suum sumpsisse et ipsam linguam latinam originem ducere » ; quid multa? cunctos quasi certatim confessos a barbaris Scythis, Hyperboraeis et Thracibus incolas et linguam, philosophiam maximamque religionis partem, artes et prima humanioris vitae rudimenta accepisse Graecos (6).

Qua tamen argumentorum copia Morhofium, quamvis ea, ut par erat, sui commodi causa sedulo adhibeat, modice tantum uti faten-

(1) *Unt.*, 22 ; de philosophis cf. etiam p. 74-76.
(2) *Ibid.*, 23.
(3) *Ibid.*, 24.
(4) *Ibid.*, id.
(5) *Ibid.*, 24-25.
(6) *Ibid.*, 22-25 ; 74-76.

dum est. Namque ex tot uberrime congestis testimoniis nihil postremo concludit, nisi quod reverentissimus quisque, qui tunc viveret veterum litterarum fautor cultorque nolens volens concedere deberet, aut diligentior peritiorque nostrae aetatis doctrina ad summam comprobare possit. Eo enim evadit demum tota ejus disceptatio, ut affirmet : e Scythia egressum quoddam populorum agmen, Pelasgos nempe, Graeciam olim coloniis implevisse, ab istis Pelasgis Graecos esse ortos, Graecorum autem linguam nullam aliam esse nisi Pelasgorum per multa saecula humaniore gentis vita et litterarum cultu sensim expolitam ac vicinorum et proxime cognatorum Phrygum sermone leviter commutatam et impulsam (1).

Quo pacto apertum fit, cur tot graeca (et latina) vocabula cum teutonicis, goticis et batavis congruant (2), et pro comperto habere licet, graecam (et latinam) linguam magna ex parte a barbaro fonte originem trahere (3), a barbaris innumeras voces accepisse (4) atque initio simul cum barbaris linguis unam et eamdem fuisse (5).

Unde tamen fiat, ut pristina haec barbariae nota in graecis (et latinis) vocabulis plerumque minus manifesto appareat, facile intelligas, si reputaveris insequenti saeculorum spatio utriusque linguae vocabula innumeras vicissitudines et mutationes esse experta, ac potissimum omnis generis terminationibus esse induta, cum apud barbaros, quorum lingua asperior remanserit, vocibus nervosior quasi facies breviorque forma sit servata. Quam quidem ea re paulatim obscuratam similitudinem facile rursus in lucem proferas, si modo terminationibus vocabula quaeque graeca (et latina) exueris; tum plerumque apparebit nuda, si dicere fas est, barbararum radicum effigies (6).

---

(1) *Unt.*, 22-25 ; 70.

(2) *Ibid.*, 26-27 ; 66, 83.

(3) *Ibid.*, 122 et passim.

(4) *Ibid.*, 85.

(5) *Ibid.*, 148-150 ; 530.

(6) *Ibid.*, 27 ; 74-76 ; 87. — Quantum de terminationum origine et natura erraverit Morhofius, haud secus ac ceteri ejus temporis grammatici, non est quod hic enodatius explicemus, quoniam quaestionem mox in Libro III., ubi de etymologia agetur, fusius tractaturi sumus.

Nec ulla alia, ut jam diximus, nisi perantiqua illa cognationis necessitudine, linguam graecam (et latinam) cum barbaris sermonibus unquam fuisse junctam contendit Morhofius; diligenter contra cavet usquequaque, ne in crimen vocari queat, quasi barbaros formosae canoraeque illius linguae, qua non concinnior altera, auctores fecerit. Quam lucide autem ac moderate simul de ista communi origine senserit, quantumque circumspecta ejus opinio a vanis et desipientibus multorum aequalium somniis distet, aperte satis ostendit hic *Institutionis* locus, in quo summa cum subtilitate graecae linguae hinc barbarum exordium, illinc proprium insequentibus saeculis progressum et incrementum secernit (1) : « Es wird ferner weder von Mylio...., noch von jemand anders gesaget, das die Griechen dazumahl, wie sie durch Wissenschafft oder Tapfferkeit sich und ihre Sprache so vollkommen gemacht, ihre Wœrter und Idiotismos erstlich von den Teutschen genommen. Der Zeug ihrer Sprache ist vor vielen Jahren erstlich von den ihnen so genandten Barbaris, die doch Witzes und Verstandes gnug gehabt, entstanden, welchem sie von Jahr zu Jahren ihre eigene Form und Aussbildung gegeben, und, da sie die Sprache zu der grœsten Stuffe ihrer Vollkommenheit gebracht, nicht mehr nœthig gehabt von andern was zu entlehnen » (2).

Enatam igitur hunc in modum barbaro gremio linguam graecam Morhofius sibi jam a primis incunabulis in varias vernaculorum sermonum species partitam fingere videtur (3), quae paulatim tantum ad quattuor, quas dicunt, classicas dialectas reciderint, donec in

---

(1) *Unt.*, 77-78.

(2) Non nostrum est hoc loco Morhofii, utpote Graecarum litterarum optimi magistri cultorisque ac fautoris, laudes inchoare; sua enim eum et scholis et scriptis confirmata fama satis commendat; quippe qui optimo jure paucis illius aetatis eruditis Germanis adscribi possit, qui in universa atque in dies crescente de his studiis socordia et negligentia, praeterita tempora saepius non sine maestitia respicientes, praecipitanti graecarum litterarum fortunae, quoad fieri posset, subvenire sunt conati (cf. *Polyhistor*, T. I, Lib. 2, cap. 11, § 9 sqq; Bursian, *Geschichte der classischen Philologie*, I, 306 sqq.; Paulsen, *Geschichte des gelehrten Unterrichts*, 376.

(3) *Unt.*, 184.

eam formam, quae κοινή vocatur, postremo coaluerint. Ea enim praevalebat illa aetate apud eruditos opinio, nec infitias eundum eam, tametsi a novissimis linguarum inquisitoribus minus benigne recepta sit, nullo adhuc firmo argumento esse minutam et cum eorum sententia mire congruere, qui unamquamque linguarum speciem e communi stipite gradatim tantum prodiisse volunt.

Vix absimilis in summa, quamquam in singulis, ut plerumque fit, cunctantior et ut audacior, ita rei veritatique multo minus consentanea est Leibnitii opinio de graecae linguae origine. Cui, omissa omni Pelasgorum mentione, Graecos recta linea a septentrionalibus gentibus obscuris quibusdam et implicatis admodum conjecturis ducere placet. Namque hoc tantum dicit et, mutatis vix verbis, iterum atque iterum solito more repetere satis habet: « Ut Latinos a Celtis, ita Graecos a vicinis Scythis » (1) esse prognatos, aut « Scythas quasi fundamentum jecisse gentis Graecorum, ut Celtas Italorum » (2), ac rursus « Graecos et linguam et incolas a Scythis ad Pontum Euxinum positis accepisse » (3).

Nec solis Scythis debuisse Graeciam et linguam et incolas arbitratur; sed « hominum examina instar sacri veris, ex Scythia progressa, Tanai Istroque transmissis, partim in Occidentem..., partim ad meridiem flexos in Thraciam, Macedoniam Graeciamque venisse, ubi serius ex Phœnicia et Aegypto coloniae supervenere » (4); quam sententiam, germanice tantum translatam, in libello *Unvorgreifliche Gedanken* sic iterat (5): « So haben doch sehr gelehrte Leute auch ausser Teutschland wohl erwogen, dass es vorher mit Griechenland eben wie mit Italien zugangen; mithin die ersten Bewohner desselbigen von der Donau und den angrænzenden Landen hergekommen, mit denen sich hernach Colonien über Meer aus Klein-Asien, Aegypten und Phœnicien vermischet... »

Quam igitur partem Morhofius in informanda aut potius augenda

---

(1). *Dut.*, VI, pars 2, p. 154.

(2) *Ibid.*, IV, pars 2, p. 189.

(3) *Ibid.*, VI, pars 2, p. 87 et 195.

(4) *Ibid.*, IV, pars 2, p. 189. — Quomodo istae coloniae Scythis in Graecia occurrerent exponit Leibnitius ap. *Dut.*, VI, pars 2, p. 86.

(5) *Unv. Ged.* § 44; cf. *Dut.* VI, pars 2. p. 195.

et promovenda antiquissima lingua graeca Phrygibus tribuerat (quos nemo saltem negaverit a primis temporibus, etiamtum in Europa habitantes, seu jam in Asiam transgressos, proximo originis et linguae vinculo assiduoque religionis et artium commercio cum Graecis fuisse conjunctos) (1), eam Leibnitius satis temerarie Phœnicibus Aegyptiisque tribuit et mirum omnino in modum varia elementa ex quibus lingua graeca tandem constiterit, sic partitur : postquam « plurima Graeca Latinaque Scythis et nostris (scil. Germanis, vel, ut in libello *Unv. Ged.*, s. 44, aperte dicit, Gotis) ducenda » (2) et « Scythicum potius, quod simul in septentrionalibus et graeca » (3) habendum pronuntiavit, reliqua a semiticis linguis allata esse affirmare non dubitat et linguam graecam dimidiam semiticam facere, cum eam sibi tanquam « misturam » quamdam fingat, « ubi non minus Scythismus quam Phœnissatio apparet » (4).

Ejusdemmodi « mistura » quadam linguam latinam Leibnitius creatam opinatur, et eo potissimum tendit, ut quam maximam ejus partem e celtico (scilicet : germanico) fonte derivatam esse demonstret. Quae opinio, cum eam jam ex nonnulis supra citatis locis deprehendere liceat, nusquam manifestius apparet, quam in his libelli *Unvorgreifliche Gedanken* verbis (5) : « Ja was noch mehr, so findet es sich, dass die alten Gallier, Zelten, und auch Scythen, mit den Teutschen eine grosse Gemeinschaft gehabt, und weiln Welschland seine æltesten Einwohner nicht zur See, sondern zu Lande, næmlich von den Teutschen und Zeltischen Vœlckern über die Alpen herbekommen, so folget dass die Lateinische Sprache denen uhralten Teutschen ein Grosses schuldig, wie sichs auch in der That befindet ». Istos autem Celtas, aut Germanos Gallosque, alio quodam loco expresse « primos Graeciae et Italiae habitatores » (6) appellat et eos

(1) Cf. Duruy, *Histoire de la Grèce antique* (1867), I, 29-80 ; Perrot et Chipiez, *Histoire de l'art dans l'antiquité*, V, p. 1 sqq.

(2) *Dut.*, VI, pars 2, p. 87.

(3) *Ibid.* VI, pars 2, p. 154.

(4) *Ibid.*, VI, pars 2, p. 86.

(5) *Unv. Ged.*, § 43.

(6) *Dut.*, VI, pars 2, p. 87.

« aborigines Italiae esse intelligit, id est incolas Graecis, Lydis, Phrygibus aliisque mari advectis antiquiores » (1).

Eo etiam cadunt quae de istorum hominum examinibus refert, quae « instar sacri veris, ex Scythia progressa, partim in Occidentem, id est in Illyricum, Pannoniam Germaniamque penetravere, unde tandem in Italiam, Galliam, Hispaniam progressi sunt postea. » (2).

Quae igitur diverse disserit ad id demum redeunt, ut « linguam latinam ex Celtica Graecaque mistis natam (3), vel, ut ipsius imaginem usurpemus, « Latinos ex connubio Graeco-Celtico natos » (4) existimet.

De qua sententia in universum considerata non est quod hic longius disputemus; suffecerit animadvertisse eam in summa cum solita illius aetatis doctrina plane congruere, nec quidquam afferre, quod non apud Boxhornium, Morhofium aequalesque eorum legitur. Nova tamen in singulis occurrunt quaedam, mira satis quidem, ac, si minus vera, ob id ipsum notatu dignissima.

Inopinate enim prorsus, ne dicam intempestive, enumerantur, praeter Celtas Graecosque, « Lydi, Phryges, Phœnices aliique mari advecti » (5), tamquam fuerint latinae linguae pro sua quisque parte auctores ; unde multiplex omnino et confusa satis videatur « mistura » ista, ex qua tandem lingua latina exstiterit. Lydos profecto Phrygesque tum forsitan meliori jure adhibere potuerit, cum de graecae linguae exordiis loqueretur, si eos quopiam intervenire necesse erat. At Phœnices atque insuper Aegyptios ut graecae, ita latinae linguae creandae participes is tantum facere poterat, quem levissimum petulantissimumque rerum etymologicarum indagatorem mox reperiemus.

Adde quod ubique *antiquam linguam* Italiae, nusquam autem,

---

(1) *Dut.*, IV, pars 2, p. 193 et 195.

(2) *Ibid.*, IV, pars 2, p. 189.

(3) *Ibid.*, IV, pars 2, p. 193 et 195 ; cf. V, 502.

(4) *Ibid.*, VI, 168.

(5) *Dut.*, IV, pars 2. p. 198. — Verbis « aliique mari advecti » nullos nisi Aegyptios esse intelligendos docet ipse Leibnitius alio loco ap. *Dut.* VI, pars 2, p. 87.

antiquas linguas significat Leibnitius et respicit, quasi a primis jam temporibus, quibus Italia a Celtis habitari cœpta sit, latina lingua unica ibi exstiterit ; nec quidquam de ceteris italicis sermonibus curare videtur. Diversos quosdam tamen, praeter latinum, olim in Italia usurpatos esse non ignorat, cum semel saltem Etruscum sermonem et « Tabulam Eugubinam » memoret, eatenus quidem progressus, ut dicat illum a nemine intelligi, hanc viris doctis suspectam haberi (1).

Quinam autem fuerint isti sermones et unde oriundi, qua antiquitate praediti et quo nexu cum latina lingua conjuncti, vel quanti fuerint momenti ad eam tum constituendam, tum inflectendam, aut quae eis in posterum, sive juxta latinam linguam durantibus, sive ab ea paulatim deturbatis, fata contigerint, inquirere nusquam Leibnitio in mentem venit. Ubique tantum de lingua latina in universum et, ut ita dicam, κατ' ἐξοχήν, disserit.

Unde jam facile intelligi potest, ut hanc quaestionem hic staitm expediamus nec paulo post iterum tractandam suscipiamus, haud aliter se rem habere, ubi de romanicis sermonibus Leibnitius disputat. Hic tamen maximi foret momenti, si institutam inter Leibnitium Morhofiumque comparationem persecuturis liceret, Leibnitii primum de ea re sententiam in certamen deducere ; at, ne quis hujusmodi collationem instituere vellet, ipsa vetat argumentorum inopia,

Leibnitius enim, quamquam eum haud semel ipsa res eo adducit, ut in uno vel altero opere de omnibus romanicis sermonibus loquatur, de singulis tamen ubique obiter tantum disputat, nullum penitus introspicit, nec, quod nostra hic maxime interesset, certis unquam exponit verbis, qua ratione eos vel informatos, vel auctos esse in universum putaverit.

Bis profecto accidit, ut *linguae romanae* mentionem faceret, ac primum quidem rursus edendis post Nithardum Ludovici Germanici et Caroli Calvi Juramentis, quae « lingua provinciali, sive Gallica recentiori, et Theotisca conscripta » (2) esse dicit ; de linguae autem

---

(1) *Dut.*, VI, pars 2, p. 195.

(2) *Dut.*, VI, pars 2, p. 141-144 ; Cf. *Nouv. Essais* (éd. Janet), I, 267 ; de iisdem Juramentis cf. etiam *Unterricht*, 157.

ipsius origine atque indole haec tantummedo, parum certis utique et definitis verbis, animadvertit : « Antiquissimum hoc est linguae Gallicae monumentum... », et : « Antiqua Gallorum romane loquentium lingua, quam nobis Nithardus servavit, in Provinciales magis iposque Italos vergit : unde quotidie magis magisque discessit. »

Simili modo, in opusculo *Unvorgreifliche Gedanken*, cum ei datur occasio sententiam suam de Gallorum et Italorum et Hispanorum sermonibus aperiendi, nihil fere aliud dicit, nisi eos semi-germanos esse, ut ex hoc loco apparet : « Es ist handgreiflich und gestanden, dass die Frantzosen, Welschen und Spanier (der Englænder, so halb Teutsch, zu geschweigen) sehr viel Worte von den Teutschen haben, und also den Ursprung ihrer Sprachen guten Theils bei uns suchen müssen » (1).

Longe aliter se res apud Morhofium habet, et sive *Institutionem*, sive *Polyhistorem*, seu potissimum ejus tractatum *De Patavinitate Liviana* evolventi exactissimae undique occurrunt et copiosissimae de linguae latinae, italicarum dialectorum et romanicorum sermonum ortu et progressu notiones; quin etiam de unaquaque romanica lingua judicia affluunt sagacia et firma, quibus manifestum fit quanta diligentia Morhofius cuncta, quae ad eas investigandas pertinerent, recognoverit ac perpenderit.

In *Institutione* profecto, in qua genus concertatorium, ut ita dicam, praevalere decebat, latinae linguae celtico-germanicam originem adscribit, septentrionalium gentium agminibus in Italiam ante hominum memoriam progressis (2), et eam, pariter ac graecam, ipso Varrone in testimonium vocato (3) ad barbarum fontem referendam contendit. Quo pacto, et graecarum coloniarum postea mari advectarum mentione facta, haud minori jure quam Leibnitius paulo post, classicae, quae vocatur, aetatis sermonem latinum (nam de eo tantum hic agitur) semi-germanicum et semi-graecum dicere potuit (4).

Sed in libro *De Patavinitate Liviana* inscripto (5), cum vir illius

---

(1) § 42.
(2) *Unt.*, 29, 34-35.
(3) *Ibid.*, 24.
(4) *Ibid.*, 28.
(5) Cap. 9 passim.

latini classici sermonis fontes et vicissitudines subtilissime inquirit, pristinas statim Italiae linguas in sua jura restituit ; quam variae jam ab antiquissimis temporibus fuerint memorat et latinae vix nascenti suum inter ceteras locum assignat.

Ante omnia enim monet, eos vehementer errare, qui credant linguam latinam vel ab initio solam, vel primam saltem in Italia usurpatam esse, cum nonnullae italicae civitates antiquitate Romam longe superent (1), complures, multo ante conditam Romam, suo jure jamdiu vixerint populi, ut Osci, Volci, Etrusci aliique multi, et varii apud eos usurpati sint sermones (2) ; unde intelligi possit hoc dicendi genus, quod, Romae primum acceptum, deinde in excultissimam et celeberrimam illam linguam latinam conversum sit, priscis temporibus nihil aliud fuisse, nisi unum e diversis Latii veteris sermonibus, ceteris, quod ad exordium lentumque incrementum spectet, omni ex parte assimulandum et « diu exiguis finibus circa Romam fere et infero Tibero finitima contentum » (3).

Nec obliviscendum insuper antiquissimae latinae linguae omnino dissimilem a romana « vultum » fuisse, immo Romae etiam bina semper exstitisse simul eloquii genera, plebeium scilicet et urbanum aut excultum, et, florente Republica, si exemplum afferre licet, Ciceronis dicendi genus « a lanistarum et pistorum sermone », quod ad terminationem, inflexionem, significationem, constructionem, accentum spectaret, omnino abhorruisse ; quo factum sit, ut ipsi cultiores Romani aliam in loquendo, aliam in disserendo aut scribendo sermonis speciem adhiberent et quotidiano vitae commercio multa cum plebeio sermone, quin etiam cum omnibus italicis dialectis, communia, necessitate cogente, paulatim acceperint et litteratorum hominum sermoni immiscuerint (4).

Ex quo rursus pateat (quod Morhofius ubique diligenter animadvertit), plebeium et rusticum cujusque gentis sermonem, tametsi a viris doctis plerumque neglegatur et tanquam rudis incultusque contemnatur, re vera solum esse antiquum et urbaniori illi ortum dedisse,

---

(1) *Unt*,, 70-71.

(2) *Ibid.*, 28-29, 51, 70-71, 81 ; *De Put. Liv.*, 560-561.

(3) *De Put. Liv.*, 559.

(4) *Unt*,, 71-72.

atque ab eo multo fidelius quam ab urbano servari genuini et pristini sermonis indolem, ut ipse Varro de vernacula lingua romana testatur (1); in eo tandem manere quasi perennem eloquii fontem, unde excultior quaeque lingua semper novas vires haurire possit ac debeat (2).

Neque aliter linguae latinae contigit : quamvis enim magna cura doctissimus ac disertissimus quisque eam, per saeculorum seriem, ab omni labe incorruptam et intemeratam servare conatus sit, plebeio tamen sermone et vicinarum gentium linguis eam magis ac magis infectam atque imbutam esse constat. Eo ipso tempore, quo maxime florebat, « maxima simul ei peregrinitas a provincialibus allata fuit » ; et eo uberius sive corruptelis sive externis vocibus inquinata est, quo latius in diversas imperii partes, dilatata semper in remotiores regiones romana potestate, diffundebatur (3).

Namque provinciales et ipsi barbari, recepto vix illo dicendi genere, quod paulatim e variis Latii ac totius Italiae dialectis coaluerat sensimque per omnes imperii partes prolatum erat, Romam invicem confluentes, multa suorum sermonum vocabula communi romano sermoni immiscuerunt, atque ipsam cultiorem linguam variis idiotismis affecerunt, ut de Hispanis et Africanis, qui, aetate imperatoria, latine scripserunt, constat (4) ; quippe qui partim proprias voces, immo totum peculiaris cujusque dialecti habitum ad latinam normam flexerint, partim innumeras, vernaculas quidem ac plebeias, et apud classicos auctores cultioresque homines inusitatas, at nihilominus vere latinas voces, quasi propensiori quodam studio, aut retinuerint aut sponte adoptaverint.

Non mediocriter praeterea ad tot et tam disparia verba in unum magis ac magis commiscenda contulerunt scripta et allocutiones Latinorum Ecclesiae Patrum, quibus hoc potissimum curae fuit ut a plebe intelligerentur.

Mixtum postremo illum sermonem et omni barbarismorum et solœ-

(1) *Unt.*, 80.

(2) *Ibid.*, 54, 69-70.

(3) *De Pat. Liv.*, cap. 9 passim.

(4) *Unt.*, 154, 213, 485 ; *De Pat. Liv.*, cap. 9 passim.

cismorum genere scatentem singulae diversarum gentium stirpes ad suam pronuntiandi consuetudinem accommodaverunt.

Sic demum, barbarorum incursionibus multa mox iterum immutantibus, nova quoque multa afferentibus, *lingua romana rustica* exstitit, quae, quamvis a veteri romanae plebis sermone jamdudum longe aliena, tamquam communis cunctarum imperii partium lingua duravit, donec, interjecto parvo temporis intervallo et gliscente semper auctaque in dies dissimilitudine, recentior quaeque lingua emersit, ac dehinc pro parte sua grandescere et separatim vivere perrexit.

Prima profecto omnis novae linguae fundamenta pristino cujusque gentis sermone potissimum niti ipsa rerum ratio docet; verborum quidem supellectilem pro parte atque intra certos fines, nonnulla etiam ad syntaxim pertinentia suppeditare aut potius servare et in novam sermonis formam transferre potuit unaquaque dialectus (1); novam quoque potuerunt, temporum successu, singulae faciem et quasi indolem induere; universis tamen perstitit indelebilis latinae originis nota, et, cum nulli earum sibi sumere liceat, ut artiori, quam ceterae, vinculo cum romana lingua sit conjuncta, cunctae aeque matrem latinam agnoscere debent (2).

Non negandum sane, multum abesse ut Morhofius, de linguis romanicis disputans, nihil in litem nisi ex proprio studiorum suorum fonte et privato sensu depromptum afferat. Plerumque contra nulla ei data est copia inspiciendi documenta aut quaestiones ab ipsa origine repetendi; tradita igitur tantum elaborare ei licuit, recensitis perpensisque, et, ut occasio ferebat, tum admissis, tum rejectis superiorum opinionibus. Quod quidem ipse candidus fatetur, et, cum omnium nomina ubique summa cum fide memoret, de quorum sententiis disceptationem ingreditur, ex ipsius testimoniis constat ab eo

---

(1) Francogallicam linguam, exempli gratia, quod ad eas voces attinet, quae jam ante incursiones Germanorum in usu erant, Morhofius *einheimisch* appellat (*Unt.*, 107).

(2) *Unt.*, 112, 157, 531; *De Pat. Liv.*, 518. — Haec ultima Morhofius potissimum contra aequales suos Italos Hispanosque animadvertit, qui, ut infra pluribus verbis ostendetur, suis linguis, prae ceteris e communi latino fonte ortis romanicis sermonibus, propiorem quamdam cum latina lingua cognationem vindicare non dubitabant (Cf. praecipue *Unt.*, 113, 182-184, 224-225).

praecipue francogallicos XVI[i] et XVII[i] saeculi eruditos viros, scilicet Claudium Fauchet, Sorellum, Verdierium, Franciscum de la Croix du Maine, prae ceteris autem Rapinum Menagiumque, nusquam profecto neglectis, sed multo postpositis auctoribus germanicis et britannicis, duces esse adhibitos.

Universam praeterea ejus doctrinae rationem intuenti facile apparet nonnulla in disputation bus interdum desiderari, multa non satis lucide exponi aut minus certis argumentis niti, plura nonnunquam errata irrepsisse, quin etiam quaedam inter se parum consentanea quandoque reperiri. Nam, ut summa tantum obiter attingamus, ex tota ejus ratiocinatione non ita perspicue patet, quam partem genuino cujusque gentis sermoni in informandis singulis romanicis linguis tribuerit; nullum item apud eum invenias vulgaris et inferioris (quod nostri *bas-latin* vocant) latini eloquii discrimen, et quid aut quantum utraque sermonis species ad constituendam quamque recentiorem linguam contulerit, frustra apud eum requiras; germanicae pariter linguae nimium in crescente et adolescente lingua francogallica tribuit momentum, quamvis haud cunctanter civium suorum superbiam, illius linguae germanicam omnino originem affirmantium, multis in locis retundat. Deinde, quam sibi finxerit *linguam romanam rusticam*, utrum eam quasi uno tenore per totum imperium extensam, an cuique genti ex aliqua parte peculiarem reputaverit, nullo modo expeditur.

Quemadmodum vero aequum est paucula vitia ista tegere aut obumbrare nolle, ita rursus meminisse decet, eum in Germania primum hujus generis studia juxta rectam severioris disciplinae rationem aggressum esse; immo primum fere inter omnes istius aetatis eruditos viros ad causam integro ac libero animo accessisse, nec sese ad investigandam quaestionem ulla unquam alia quam historicae indagationis via contulisse; denique eum nusquam dubitavisse omni vel penitus insitae et omnium consensu probatae opinioni obviam ire, ubi id agi crederet, ut veritas in disputando limaretur.

Summo enim ingenii acumine nec mediocri sententiae firmitate opus erat, si quis vera quaedam proponere et affirmare auderet, quae omnibus illius aetatis infixis erroribus adeo vehementer adversarentur, quaeque ad nihil aliud pertinerent, quam ut recepta ab humanissimo quoque in illo tempore viro dogmata, ut ita dicam, funditus subruerent et everterent.

Namque totum linguae latinae decus polluere videbatur, etsi ipse erat antiquarum litterarum reverentissimus cultor, cum contenderet, e duobus omnino diversis dicendi generibus, quae jam a condita Urbe semper Romae usurpata fuissent, plebeium non modo minime, ut plerisque plane compertum videretur, pro quadam minus pura excultaque aut in dies magis ac magis corrupta latinae linguae specie esse habendum, sed etiam ipsam fuisse a principio primigeniam patriamque linguam latinam, cum Roma simul natam atque a primis populi Romani incunabulis Romae continuo usitatam; immo ab illo pristini et genuini sermonis indolem per insequentia saecula multo fidelius esse servatam, quam ab urbana lingua, quam classicam dicerent et summo nec immerito certe cultu ornarent eruditi; eam tamen, si ad originem spectes, nihil aliud fuisse, nisi facticium quoddam, quasi ex pacto conventoque compositum dicendi genus, partim ex ipsa plebeia dialecto, partim ex omnibus italicis sermonibus vernaculis paulatim agglomeratum.

Sed plurimum is audere videbatur, qui confirmare non dubitaret, ab ista plebeii sermonis forma, nec ab urbana lingua, veram et unicam omnium romanicarum linguarum originem esse repetendam; eas igitur nullo pacto pro corruptela quadam linguae urbanae esse habendas (ut fere omnibus tunc videbatur, qui eas saltem e latino, non germanico aut celtico fonte hauriendas existimarent); quin etiam quasi naturali rerum decursu pristini plebeii sermonis necessariam directamque continuationem eis inesse; istud enim plebeium dicendi genus, transformatum quidem saepiusque deformatum, sed semper vivax et persistens, nulla interruptione admissa, in romanicas linguas legitima propagatione esse perpetuatum, cum contra illustris illa urbana lingua jamdiu esset exstincta aut vix nunc pio ipsorum degeneratorum humanitatis sectatorum cultu viveret.

Nec satis habet illam, ut novam, ita rectam ac diligenter expositam opinionem amplis quibusdam et parum definitis formulis, Leibnitiano more, in medio posuisse; sed quae asseverat, ea statim certis exemplis firmisque argumentis probat, e francogallica lingua potissimum depromptis, quam et potiori studio prosequi et prae ceteris romanicis sermonibus callere videtur.

Ubi enim eo jam venit ut exponat, qua continua ratione et quo diverso tamen modo vernaculi sermonis latini voces gradatim inflexas

ac postremo in nova quaeque singularum romanicarum linguarum vocabula conversas esse putet, francogallici verbi *déchoir*, exempli gratia, etymologiam statim profert et, a pristino *decadere* progressus, omnes medias ex ordine enumerat figuras, quas ea vox subinde induerit, donec ad eam tandem caderet, quae apud nos nunc in usu est, ac vicissim in testimonium vocat, hinc italicum *cader*, quo probetur vocalem finalem jamdudum esse suppressam, illinc hispanicum *caer*, ex quo pateat etiam medium *d* cito cecidisse, tum picardicum *car, ker*, quo vocalium *a* et *e* contractio confirmetur, tum antiquum francogallicum *cher*, quod demonstret in quibusdam regionibus durum *k* paulatim in mollius *ch* transiisse; unde tandem, conversa rursus *e* vocali in *oi* diphthongum, hodiernum nostrum *choir*, *déchoir*, exstiterit.

Istarum autem mutationum causam nunqnam, ut plerisque illius aetatis eruditis viris videbatur, corruptioni cuidam, sed cujusque gentis genuinae pronuntiationi et peculiari ad certos sonos inclinationi adscribendam esse recte omnino existimat (1).

Similiter, ut sententiam suam de cujusque romanicae linguae fatis, mutationibus, vicissitudinibus illustret, fuse et in expeditum ex omni parte modum exponit, quae linguam francogallicam per saeculorum seriem expertam esse reputet, atque in ejus transformandae ac constituendae vita, ut ita dicam, et decursu tria tempora dignoscenda censet : ac primum gaudere videtur, copiose et libenter narrans, quomodo Galliae Meridianae incolae celtici prae ceteris latina urbanitate et humanitate sint mature imbuti, et, in universo litterarum delapsu, fidelius quam aliae gentes latini sermonis nitorem atque ubertatem servaverint, sed tamen jam eum a primis temporibus non desierint pro suo peculiari ingenio immutare (ita ut jam Ciceronis aetate genus dicendi gallicum fama celebrari cœperit) (2), introductis hinc in urbanam linguam multis vernaculis vocibus, inflexo illinc rursus ad latinam normam et indolem proprio cujusque sermone.

Inde igitur, ut jam supra notatum est, francogallicae linguae prima exordia ducit Morhofius, quae partim e pristino celtico fonte orta,

(1) *Unt.*, 491 ; cf. 110-111.
(2) *Ibid.*, 154.

partim ipso vulgari latina nixa fuerit, e quibus paulatim commixtis haec primum exstiterit recentioris eloquii forma, quam eruditi *romanam rusticam linguam* appellaverint (1).

Recta profecto hucusque omni ex parte reputanda foret Morhofii explanatio, si modo, ut jam diximus, necessarii discriminis ratione habita, vulgarem latini sermonis formam ab ista linguae specie, quam posteri *bas-latin* nominaverunt, distinctius secrevisset.

Quanti postea momenti in novanda lingua nostra fuerint Barbarorum incursiones, his cautis iterum moderatisque verbis exponit : « Diese Zierlichkeit ist durch alle Zeiten geblieben, wiewohl sie von Jahren zu Jahren in etwas geændert... Nachgehends wie die Gothen und andre Nordiscbe Vœlcker alles überstrœmmten, haben sie die Sprache in soweit geændert dass man dennoch die Fussstapffen der alten Lateinischen sehen kœnnen, die aber mit der Frembden sehr gemischt war » (2).

Quid autem verbo « gemischt » sit intelligendum, ipse luculenter nonnullis *Institutionis* locis ita explicat, ut existimet, linguae francogallicae multa vocabula ea aetate a barbaris esse immixta, ac verborum copiam haud parum esse auctam (3), sed ipsius linguae naturam et latinam indolem integram superstitem fuisse aut vix in hoc esse leviter mutatam, ut ejus syntaxis omnino germanica sit facta : quod non modo concedentem, sed etiam quodam loco affirmantem Morhofium (4) a solita prudentia discessisse et aetatis suae erroribus nimium indulsisse non possumus quin valde doleamus, cum eos ubique haud cunctanter refellere soleat, qui, desumpto ex istis barbarorum incursionibus argumento, linguam francogallicam totam e germanico fonte deducendam esse contenderent.

Hoc igitur modo in diversa diu agitatae, sed stabilem demum et proprium quemdam habitum adeptae francogallicae linguae fidelissimum specimen in Ludovici Germanici et Caroli Calvi Juramentis servatum esse memorat (5), miro rursus ipsius et Leibnitii consensu.

---

(1) *Unt.*, 156 sqq. ; cf. 71-78.

(2) *Ibid.*, 157 ; cf. 229.

(3) *Ibid.*, 27, 58, 157 et passim.

(4) *Ibid.*, 511 et *Polyhistor*, T. I, Lib. IV, cap. 4, § 10.

(5) *Ibid.*, 157.

Non modo enim Morhofius de istis Juramentis utpote antiquissimo nostrae linguae testimonio idem plane judicium facit, quod postea apud Leibnitium iisdem omnino verbis semel atque iterum repetitum invenias; sed usque in errorem concurrit utriusque opinio, cum jam Morhofius ea provinciali lingua conscripta reputaverit (1).

Inde ab hoc tempore Morhofius tertiam linguae nostrae aetatem numerat, qua tandem suo jure vivere ac propriis viribus crescere et adolescere cœperit, posthac tantummodo per intervalla vicinae cujusque linguae, praesertim italicae, commercio et insinuatione leviter inflexa aut ditata (2).

Eam autem vel vix natam, vel grandescentem, vel ad summum fastigium XVII° saeculo perductam, omni laude ubique cumulat. Quemadmodum enim in *Institutione* primum locum gallicae genti concedit, « welche Nation an Sinnlichkeit und Neigung zu der Poeterey den andern billig vorzuziehen ist » (3), ita linguam quoque gallicam ceteris a latino fonte ortis potiorem habet, de qua in summa hoc optimum judicium in *Polyhistore* facit : Germanam ut in multis, praesertim in constructione, matrem agnoscit (4), ita sequatur nunc presso pede Lingua Gallica, omnium quotquot Europa habet vulgarium cultissima nitidissimaque et quae, ob ingentem bonorum librorum omnis generis apparatum (praetereo enim nunc insertum ipsi linguae incomparabilem nitorem), non facile a quoquam viro docto, nedum Polyhistore, ignorari potest » (5).

Nec eam obiter tantum et quasi ex audito laudat aut vulgaribus quibusdam ex quotidiana allocutione sumptis verbis extollit ; sed multum ac diu cogitatam de ea sententiam, re perspecta et cognita perpensisque et inter se computatis virtutibus ac vitiis, profert et disertissimis argumentis ubique statim confirmat.

Praesertim ei gratulatur quod abundat verbis, quibus « abstractus et genericus conceptus » exprimitur, qua ubertate jam dolet, et pariter doluit Leibnitius postea, linguam germanicam carere, cum

---

(1) Cf. *Dut.*. VI, pars 2, p. 141-144 et *Nouveaux Essais* (éd. Janet), I, 267.

(2) *Unt.*, 660.

(3) *Ibid.*, 154.

(4) Quid de ista opinione sentiendum jam supra diximus.

(5) *Polyhistor*, T. I, Lib. IV, cap. 4, § 10.

ejusmodi vocabula germanice saepius ne reddi quidem possint (1). Nec minus delectatur canoris linguae francogallicae modulationibus verbisque ad sonum exquisitis, quamquam idem moleste fert eam ista, vel saepius felici, ad dulces voces propensione ita efferri, ut euphoniae studio nonnunquam plus aequo indulgeat, et praecipue quod ad consonantes spectat, inconstans nimis et temeraria omnino fieri videatur (2).

Cum autem huic modulatae verborum constructioni totiusque linguae ad volubilitatem pronae indoli longa et composita vocabula repugnare constet, vehementer vituperat Morhofius, quod « Pleiadis » Poetae sint francogallicum sermonem ad graecam similitudinem configurare conati, immensasque compositas voces fabricati (3).

Non infitias quidem eundum Morhofii laudes, antiquum gallicae linguae nitorem celebrantis, re vera ad provincialem sermonem esse referendas, quem ab ipsa francogallica lingua nusquam distincte satis videtur secrevisse. Ubi enim de pristino gallicae poesis splendore praecocique incremento loquitur, omnia quae enumerat, ac potissimum poetarum nomina, multo potius ad provincialem quam ad ipsam francogallicam linguam pertinent. Nec aliter se res habet, cum memorat eam maximi fuisse momenti in inflectenda et augenda lingua italica tantaque istis remotis saeculis fama jam praestitisse, ut Itali Hispanique nonnulli patriam linguam deserere et provinciali sermone scribere non dubitaverint (4).

Sed, ubi ad recentiora tempora venit, necessarium discrimen facit, provincialem linguam a ceteris gallicis vernaculis sermonibus diligenter sejungit et tres praecipuas francogallicae linguae species

---

(1) *Unt.*, 659 ; cf. infra in Part. IV. — Quae de verbo « ineptus » bis disserit Leibnitius, cui, Cicerone judice, nulla vox graeca respondeat, ea quoque jam Morhofius hoc loco notat, et cum huic, contra Leibnitii morem, summae semper curae sit, ut auctores suos ubique nominatim afferat, inde manifestum fit de eo verbo primum inter recentiores homines J. C. Scaligerum disputavisse, a Leibnitio igitur hanc observationem sive ex Scaligero, sive ex Morhofio esse depromptam (Cf. *Unv. Ged.*, § 61 et *Dut.*, VI, 299).

(2) *Unt.*. 110-112.

(3) *Ibid.*, 168 et 666.

(4) *Ibid.*, 155-164 ; 185.

distincte statuit, hinc provincialem, illinc occitanicam, praeterea picardicam, quae ultima omnes comprehendere videtur dialectos, quae nunc in universum ad sermonis genus, dictum *langue d'oïl*, pertinere reputantur; alio enim loco celticos populos in Occitanos et Francos dividit (1), quod ita interpretari possis, ut hinc eos qui linguam *d'oc*, illinc eos qui linguam *d'oïl* usurparent, significare voluerit.

Has autem omnes nullo pacto pro corruptioribus aut ab urbana lingua degeneratis quibusdam dicendi generibus esse habendas, sed pristinae linguae multo propiores remansisse, hic quoque, ut ab eo non aliter erat exspectandum, dicendae causae semper memor, vigilanter memorat (2); quid insuper vernaculi sermones nunc etiam cultiori linguae afferre, quot et quanta ei augendae ac ditandae praestare possint, solito more, docere non praetermittit. Sed cum ibi de excultissima, quae unquam recentioribus temporibus fuerit, lingua agatur, sedulo simul monet quam prudenter et parce ex illis sit hauriendum, ne indecora vulgaris eloquii obreptione perpolitus humaniorum hominum sermo inquinetur. Quapropter Ronsardi consilium vehementer reprobat, suadentis ut omnes vernacularum dialectorum voces ac constructiones in urbanam linguam promiscue admittantur, et quaecumque ille eo tendentia molitus est, utpote immodica atque intempestiva haud cunctanter vituperat (3).

Recte enim sentit longe aliam esse francogallicae atque germanicae linguae ea aetate, et jam multo antea fuisse, conditionem, nec eum fugit quam bene linguae nostrae successerit, quae in regia aula regioque comitatu quasi domicilium quoddam ac sedem bonarum artium et humanioris culturae invenerit, ubi elegantiorum et urbaniorum virorum studio et auctoritate constituta demum perpolitaque et ornata sit; quae feliciora fata carae sibi germanicae linguae usque tum defuisse et nunc etiam deesse, haud secus ac Leibnitius paulo post, eo vehementius luget, quo difficilius et incertius restituendae patriae linguae officium, deficiente tunc apud Germanos omni communi studiorum ac litterarum fonte et sede, fieret (4).

---

(1) *Unt.*, 158, 160.

(2) *Ibid.*, 108-109.

(3) *Ibid.*, 484.

(4) Cf. infra in Part. IV, ubi quoque Morhofii de Academia francogallica judicium recensetur.

Quamvis multas magnasque dotes francogallicae linguae libenter largitus sit Morhofius, non potest tamen quin nonnullorum XVII[i] saeculi gallorum scriptorum superbiam retundat, qui eam latinae antecellere contenderent, et, in celeberrima illa tunc primum instituta controversia de veterum aut recentiorum praestantia, in veterum partes, nulla admissa mora, concedere sua eum cogit antiquarum litterarum inconcussa reverentia. Quemadmodum enim nullam recentiorem linguam gallica potiorem, ita nullam, ne ipsam quidem gallicam, latina praestantiorem habet (1).

Italicam profecto linguam fatetur graviorem aliquando et severiorem gallica esse; eam tamen in universum consideratam huic longe postponit. Quamquam enim haud invitus concedit illam informatam tandem ac perpolitam incomparabili concinnitate, elegantia, suavitate esse praeditam, eam nihilominus a primis statim verbis increpans nothum quoddam eloquii genus vocot, quod e spuria corrupti latini sermonis mixtione cum gotica lingua coaluerit.

Quamobrem Morhofius subito duplicem istam originem italicae linguae peculiari crimini fecerit, non est certe quod primo adspectu conjicias; in illa enim constituendae italicae linguae ratione nihil invenias, quod non ipse jam de ceteris romanicis sermonibus notaverit et ad ipsam rerum naturam accommodatum reputaverit, cum cunctos aeque, ut par erat, e latina lingua ortos agnoscat cunctisque e germanicis sermonibus quidquam plus minusve obrepsisse profiteatur. At enim, ubi vera totius jurgii causa apparet, mirum prorsus in modum haec ab eo viro objici judicaveris, cui hoc semper summo studio praecipuaeque curae fuerit, ut germanicae linguae jura contra latinam repeteret. Italis nempe nullo pacto ignoscere potest, quod latinae linguae usum deseruerint et vulgari sermone italico scribere cœperint; luget eos, utpote Latinorum stirpem legitima propagine continuantes, patriae linguae infideles fuisse, nec, postquam omnia laudavit, quae nonnulli eruditi XIV° et XV° saeculis tentaverint ad renovandum latinae linguae usum, aequo animo ferre potest, eorum conatibus nihil esse profectum (2).

---

(1) *Unt.*, 178-180; *Polyhistor*, T. I, Lib. IV, cap. 4, § 10.
(2) *Ibid.*, 182 sqq.

Eo severius igitur Italos reprehendit, quod tot ex quaque lingua desumptas voces in suum novum sermonem acceperint (1). Urbanae enim linguae non aliter evenisse animadvertit atque variis dialectis, in quas italica lingua jam a principio, haud secus ac graeca, fuerit divisa; quae quamvis inter se, si ad concinnitatem et elegantiam spectaveris, omnino dispares esse videantur, in hoc tamen consentiant, ut cunctae ex quaque vicina peregrina lingua, ut proximitas aut commercium ferebat, plus minusve receperint (2).

Sic provinciali linguae multa tuscam dialectum, nec non ipsam urbaniorem Italorum linguam (3), debuisse, pariterque in calabricam et siciliensem nonnulla ex graeco vel arabico sermone transiisse constat. Vix florentinam ac romanam puriores excultioresque et omnis urbanae linguae conditioni propiores judicaveris, quamquam rursus romanam valde dolendum est alienarum vocum colluvie magis ac magis inquinari; quod quidem ei vix potuit non accidere, cum ex omnibus orbis terrarum partibus magna hominum multitudo, diversissimas linguas usurpantium, Romam confluere non desinat (4).

Sed, postquam has ore querelas jecit Morhofius, ad rectius judicium solitamque aequitatem mox reversus, quidquid Itali conati fuerint, ut suam linguam castigarent, ac paulatim ornarent et ditarent, ingenue agnoscit; quin etiam diligentiorem ab eis huic excolendae, quam a Gallis suae, operam tributam esse fatetur (5).

Probe igitur et candide exponit quam bene Dantius (6), Petrarca (7) et Boccacius (8) de ea sint meriti, quamquam iterum ad breve tempus praesumpta opinione animum movente, miram satis Melchioris Inchoveri sententiam amplectitur opinaturque eos ob hanc solam causam vulgari sermone italico in suis scriptis usos

---

(1) *Unt.*, 183.

(2) *Ibid.*, 184-185.

(3) *Ibid*,, 159 et 185.

(4) *Ibid.*, 185 et 193.

(5) *Ibid.*, 210-211. — Eadem omnino occurrunt apud Leibnitium (*Unv. Ged.*, § 105).

(6) *Ibid.*, 186; cf. etiam *Unv. Ged.*, § 105.

(7) *Ibid.*, 191.

(8) *Ibid.*, 192.

esse, « weil sie sich nicht getrauet in der Lateinischen Sprache etwas tüchtiges ausszurichten, da alles damahls in voller Barbarie war » (1).

Quid postea quoque ad eam expoliendam Bembus (2) ac potissimum Academia dicta « della Crusca » (3) contulerint, haud minus aequabiliter memorat nec invitus fatetur, eam recentioribus temporibus ad summum decus eximiumque nitorem esse adductam, atque hoc ante omnia in ejus laude ponit, eam concretis, si dicere fas est, epithetis uberrimam et ad omnes sententias metaphorice enuntiandas aptissimam (4) esse, ipsarum tamen metaphorarum immodico usu saepius vituperandam (5).

Ex brevioribus et incertioribus Morhofii de hispano sermone sententiis statim manifestum fit, ei mancam tantum et vix inchoatam hujus linguae notitiam adfuisse. Hanc enim in primis a lusitana ne obscure quidem distinctam ab eo esse ipsum jam docet ejus de Camoensio judicium, cujus nomen de improviso inter multa ad hispanas litteras pertinentia his omnino inopinatis verbis inducitur : « Camoens, ein Heroischer Poet aus Portugal, gebraucht sich einer schwülstigen auffgeblasenen Ahrt zu schreiben in seinem Poemate von Indiens Eroberung » (6). Nec ullo alio loco quidquam, vel obiter, ab eo de lingua lusitana commemoratur, de qua profecto apud Leibnitium pariter nihil invenias.

Severius certe, ne dicam inique, patet Morhofium de Camoensio existimavisse ; ejus autem judicium propterea forsitan notatu dignissimum reputaveris, quod hic prima occurrat apud Germanos Lusitani poetae mentio, solaque, nisi fallor, donec vergente XVIII° et ineunte XIX° saeculo ejus carmen germanice verti cœptum est, ipsumque auctorem Fridericus et Augustus Schlegel tamquam optimum, qui recentioribus temporibus fuerit, epicum poetam civibus suis commendaverunt (7).

---

(1) *Unt.*, 185.

(2) *Ibid.*, 194-195.

(3) *Ibid.*, 210-211.

(4) *Ibid.*, 667-668.

(5) *Ibid.*, 233 et 270.

(6) *Ibid.*, 217. — Quemadmodum Camoensii, ita Shakespearii nomen primus in Germania Morhofius produxit (cf. *Unt.*, 232).

(7) Cf. Koberstein, *Grundriss*, 5. ed., IV, 249, 254, 740. — Non multo benig-

Ceterum de hispanicae linguae origine Morhofius, ut res ferebat, eadem fere exponit, quae de gallica aut italica jam praefatus est, censetque primum genuino sermoni vulgarem linguam latinam esse mixtam, ita ut hic quoque, haud aliter atque apud ceteros romanenses populos, romanae rusticae linguae forma quaedam brevi exstiterit (1). Hanc autem mox multo magis corruptam ac deformatam, quam apud Italos Gallosque, ac potissimum variis Gotorum, Vandalorum, Arabum sermonibus inflexam atque imbutam esse arbitratur. Insulsa igitur superbia efferri Hispanos ait, contendentes suam linguam latinae proximam remansisse, cum plane manifestum sit, quod quidem Morhofius ex nonnullis peritissime allatis exemplis comprobat, eam in iis quae praecipue ad litterarum mutationes spectant, a latino sermone quam maxime alienam esse factam (2).

Longe minorem insuper ei excolendae, quam italicae aut gallicae, curam esse impensam existimat (3); huc autem, ut satis apparet, proniori quodam animi impulsu inclinare videtur, ut, postquam ei fere invitus et renitens aliquam orationis dignitatem et granditatem concessit (4), ejus vitia potius de industria palam faciat. Velut eam praecipuo studio subsurdas et obscuras vocales prosequi (5), et, nonnulla quidem venustate praeditam (6), singulari tamen et putido cuidam dicendi generi nimium indulgere, quin etiam inflata et tumida oratione saepius turgere notat (7); cumque fateatur ab ea interdum translata verba feliciter usurpari, non potest quin, optimo quidem jure, statim animadvertat, eam, perinde atque italicam, metaphorarum immodico usu plerumque peccare (8).

Totius igitur hucusque institutae disquisitionis summam facienti

---

nius initio apud nos eum fuisse exceptum testantur quae parce omnino et circumspecte de translatione La Harpii eloquitur Voltarius (Cf. Voltaire, *Œuvres complètes*, éd. Garnier, 8, 332 sqq., 48, 449 ; 50, 94).

(1) *Unt.*, 113, 224, 491.

(2) *Ibid.*, 113, 224-225.

(3) *Ibid.*, 223.

(4) *Ibid*, 216.

(5) *Ibid.*, 110.

(6) *Ibid.*, 212.

(7) *Ibid.*, 216-219.

(8) *Ibid.*, 670.

apparet, Morhofium, ut benigne semper de gallica lingua et gente loquitur, et utramque prope plena laude cumulat, ita severiorem jam fieri, ubi de italico sermone agat, ac fere omnino male de hispanico existimare.

Injuste tamen faciat, qui eum arguat, quasi nimio Francogallorum studio impulsus, ista mentis pravitate fuisset imbutus, quam « gallomanie » appellant et qua plurimi ea aetate Germani laborabant ; nam vix quemquam invenias, qui pro germanica lingua et germanico more contra pervicaces francogallici sermonis et usus sectatores et fautores acrius pugnaverit.

Francogallos auctores profecto multum ac saepe adhibuit : quid mirum, si respicias apud eos prope solos tum exstitisse fontes, unde linguas romanicas investiganti haurire liceret ? Eorum insuper auctoritatem maximi semper pretii fecit atque in eorum sententiam plerumque concessit : nusquam temere saltem aut inconsulto, cum constet hoc ei semper praecipuae curae fuisse, ut omnes de qualibet quaestione prolatas opiniones, si modo aliquis ad eas aditus pateret, sedulo colligeret ac probe exponeret, nec ei ullam seu ex francogallicis, seu ex ceteris auctoribus desumptam sententiam, nisi diu ac diligenter perpensam, servata usque discernendi integra aequabilitate, placuisse.

Immo non parva ei laus est tribuenda, quod ex tot et tam variis, saepe falsis, nonnunquam inanibus delirisque conjecturis et effatis (1), quaedam cum vera doctrinae ratione magis congruentia et cunctis meliore rerum cognitione imbutis viris posthac probanda expedire atque in lucem proferre valuerit, eo usque, jam illo tempore, etiam progressus, ut praecipua de linguis romanicis placita perspicuus proponeret ac diserte probaret, quae, multos rursus per annos tum neglecta aut obscurata, tum omnino controversa aut negata, post duo saecula tantum certiore et adulta tandem nostrae aetatis doctrina plane confirmata ac definitive demum constituta sunt.

(1) De longa istiusmodi errorum serie, cf. *Polyhist.*, T. I, Lib. IV, cap. 4, § 11 ; Eccard, *Historia studii etymologici*, p. 78-80 ac praecipue Fuchs, *Die romanischen Sprachen*, p. 3-28.

PARS II.

DE MORHOFII ET LEIBNITII STUDIIS QUAE AD LINGUAS GERMANICAS SPECTANT.

CAPUT I.

QUAM OPERAM MORHOFIUS LINGUAE GERMANICAE NAVARIT.

Quae Morhofius proposuit de romanicis sermonibus et litteris, tamquam breviora, quod ad summam attinet, atque in singulis saepe minus exarata, nonnulli vituperaverunt. Severius certe, si incepti novitatem respexeris; immo meminisse decet eum ante omnes doctae rerum indagationi profuisse, cum historiae et experientiae testimoniis ad varios sermones inquirendos et variarum gentium monumenta litterarum explicanda diligenter primus sit usus; ab eo tunc primum collata haec inter se esse et uno tenore comparata. Meminisse decet non modo nullam prius litterarum historiam aut conceptam esse aut concipi potuisse, qualis saltem ab eo praeformata et inchoata est, sed etiam operis materiam per totum orbem terrarum sparsam scribenti suppeditatam aegerrime esse, et in intimo Germaniae recessu degenti ac laboranti haud facile esse compertum de tot scriptoribus, e tot gentibus ortis, quorum ipsa nomina civibus ejus incognita erant.

Facile igitur concedam illi nonnunquam defuisse documenta, quam penuriam ipse imprimis dolet et fatetur sincerus, ut solet in qualibet investigatione. Interdum certe necesse fuit vel indefesso librorum rimatori, si dicere fas est, et sagaci scriptorum aestimatori, cum nullus ad ipsos fontes pateret aditus, aliena opera uti,

aliena sententia niti, nec ei concessum est proprio sensu res et homines, de quibus ageret, perpendere.

Integer vero manet, qui nullum neglexit fontem, quem sibi apertum invenire potuit, et, quae ei praesto erat, materiam ut sagaci et acuto ingenio, ita libero et aequabili animo tractavit, nec ullum unquam judicium, praesumpta opinione, tulit, adeo cautus in sententia ferenda, ut, si quid obscurius sibi videretur, a conclusione abstineret omni, paene singularis aetate sua, optionemque suam differret, officio se satisfecisse ratus, si varias ab auctoribus expromptas opiniones probe emuneraret, alias cum aliis componendas.

Ne multa, si nos doctissimo viro aequos judices praebeamus, vel quae excusat temporum ratio remittamus, recurrat velim in mentem ab eo, quamvis rudis et curta tunc esset doctrinae copia et veri inquisitio, descriptam esse in Germania romanicarum linguarum et litterarum imaginem, cui non altera aetate anteit, e totius materiae conspectu expressam, quam tunc assequi licebat ; quin etiam fateamur inchoatum ejusmodi opus tanta veritate nitere in summa rerum, tanta elegantia et diligentia in singulis partibus, ut eximia existimatione, certo et praestanti judicio sententias suas tulisse videatur arbiter ille indefessus, nec ideo minus acer et subtilis.

Quae ut diligentius et aequius perpendamus, sat erit comitari viam exploranti apertam et quasi familiarem, dum in germanicas linguas inquirit.

Multis enim ad hanc disciplinam pertinentibus documentis et testimoniis instructo, praeter solitam in omni doctrina eruditionem, in inquirenda veritate vim sedulam et tenacem, in solvenda lite puram ac maturam aequitatem, aderat insuper et peculiaris exemplorum in causa adhibitorum notitia et variarum, de quibus agebatur, linguarum proprius atque frequens usus.

Namque noverat ille in primis et apte in rem suam convertit quidquid in lucem prodierat ex antiquis Germanorum carminibus, nec minus omnes quae ad ea spectabant commentationes. Quod compertum habeas, si locorum et auctorum recenseas numerum, unde nova eruit argumenta : ea enim bonus et probus disceptator idemque fidelis historicus refert, quotquot sunt, omnia. Cum de etymologia disserit, ut aliquo exemplo utamur, in primis, qua doctrina praeditus esse debeat qui etymologiae studeat, proponit, et ut obiter

dicamus, se ille praebet huic officio pro tempore suo dignissimum (1). Deinde sedulo quidquid glossarum, quotquot glossaria aut vocabularia comparari poterant, inde a *Glossis* Hrabani Mauri usque ad *Lexica* Henischii et Francisci Junii, colligit (2). Ubi grammaticam tractat, quidquid ad hanc artem absolvendam elaboratum erat a Caroli Magni tempore ad Schottelii *Opus* perlustrat (3).

Simili modo cuncta ad litterarum, theologiæ, juris, historiae studium pertinentia documenta, prout ei suppetebant, summa cum diligentia et cura animadvertit. Ex his, ut praecipua tantum afferantur, conscriptae vetere saxonico (4), anglo-saxonico (5) vel theotisco (6) sermone Psalmorum interpretationes aut paraphrases, poema cui nomen impositum est *Heliand* (7), Otfridi *Evangelia* (8), Willerami *In Cantica Salomonis mystica explanatio* (9), Sancti Annonis *Carmen* (10), cuncta studio alacri in usum proprium ab eo conversa sunt.

Carminibus autem medio aevo conditis tactus praesertim et allectus est, quae patefecerat et in vulgus ediderat Goldastus (11); nec satis habuit ex sola exemplorum copia et immensa rerum congerie verborum testimonia sumpsisse, ut argumenta theologi, legum definitiones et commentationes jurisperiti.

Unus enim, Goldasto et Hofmannswaldavio exceptis, Morhofius exstitit, qui aetate sua vel usque ad Bodmerum, Germanos ad litterarum studium revocaverit, quales feliciter medio aevo Germania coluit; qui etsi fidelis fuit ad imum disciplinae poeticae ab Opitio descriptae, se nihilominus ab angustis legibus, quas ediderant Sile-

(1) *Unt.*, 49-50; 65.

(2) *Ibid.*, 59, 498-499, 501 et passim.

(3) *Ibid.*, 308-322, 412, 454-458 et passim. — Plura de hac questione ut reperias, cf. ejus *Polyhistorem*, T. I, Lib. IV, cap. 4 ex integro.

(4) *Ibid.*, 308-314, 322.

(5) *Ibid.*, 233-236, 313.

(6) *Ibid.*, 308-314, 500.

(7) *Ibid.*, 313.

(8) *Ibid.*, 102, 312, 314-317, 319-322, 403, 434.

(9) *Ibid.*, 314, 319-320.

(10) *Ibid.*, 333.

(11) *Ibid.*, 325 sqq.

sianus rhetor et ejus discipuli, relaxare valuerit et intellectu consequi, non solum quanta vi et suavitate excelleret hoc poesis genus, ab Opitio semper contemptum, utpote barbarum et rude, sed etiam quanta fructuum ubertate ejusdem studium deinceps Germanorum linguam litterasque reparare et renovare posset ac deberet, ab exacto sexto decimo saeculo paene obsoletas.

Non tamen haec veterum Germanorum conspicua monumenta mirantem fugit, multo plura nondum in lucem prodiisse et imis tabulariis, bibliothecis, monasteriis etiamtum obruta oblivione latere. Itaque fortiter coram suis aequalibus tot et tam eximiorum antiquae Germaniae laudis testium causam agit, vehementerque vituperat inertiam ingratae prolis, quae vetustate labi et corrumpi gentile patrimonium patiatur, neque officio suo et communi utilitati satisfaciat, collectis pia cura hujus reliquiis (1).

Cui deberet esse pudori incuria sua, cum tanta diligentia conquirant et in vulgus edant vicinae gentes veterum auctorum suorum antiquissima monumenta. A Suecis praesertim exemplum petit Morhofius (2), qui, si quid de heroicis carminibus in patria superesset, id sedulo eruentes, antiquorum Germanorum laudem a Tacito celebratam ad se trahere, non sine profectu, tentabant (3).

Quin etiam sunt apud eum quae animum moveant, quoties vehementer obsecrat, si cui vel trunca quaedam e vetusta poesi contigerint, ut illa sero nondum obsequio ab oblivione vindicentur; quoties ad id opus perficiendum legum auxilium, principum optimatumque munificentiam, doctorum virorum diligentiam exposcit: a quibus praecipue flagitat impensiori cura et inviolata verecundia in lucem edi quidquid in eorum manus venerit. At veneranda illa veterum temporum testimonia edituro hoc potissimum esse cavendum monet, ne quis ea temerare audeat vel aliqua emendatione corrumpat, ea specie ut quaedam meliora, puriora, nitidiora faciat. Immo pœnas jure praefinitas irrogaret libenter, si quis auctores amputasset aut violasset antiquos (4). Itaque excerpto et recognito

---

(1) *Unt.*, 282-283, 289-290, 304-305, 331-334, 349.

(2) *Ibid.*, 65, 290.

(3) Cf. infra Cap. III.

(4) *Unt.*, 333, 358, 365, 373 ac saepius.

quodam loco e poemate Hugonis de Trimberg, quod *Renner* inscribitur (1), ostendit quam prave, insana consuetudine, quidam sponte sua antiquos auctores aut mutilent aut amplificent, quos renovare et concinnare velint (2). Unde manifestum fit eum et litterarum quae medio aevo superfuere studiosissimum fuisse et recto probatoque judicio intellexisse, qua arte et ratione vere docti homines codices manuscriptos in lucem edere debeant.

Omnium veteris germanicae linguae monumentorum, nec non commentationum de eis hactenus conscriptarum peritissimo contingit praeterea familiaris ille linguarum vernacularum a germanica declinatarum usus, qui saepius romanicis quibusdam dialectis studenti defuerat.

Oriundus enim ex oris Baltici maris cunctas paene inferioris Germaniae dialectos a pueritia longo commercio et usu quotidiano callebat, nec eo minus superioris germanicae linguae, quae *neuhochdeutsch* dicitur, sibi eximiam et dicendo et scribendo comparaverat peritiam. Quanta enim cum sollertia quantaque munditia teutonicae linguae forma a viris doctis usurpata uti solitus sit, satis compertum est genere dicendi, quod optimus ejus libellus, *Institutio* praebet, quem si cum Schottelii *Opere de Lingua Germanica (Ausführliche Arbeit)* conferas, planius apparebit, quantum Morhofii opera sit effectum, ut lingua germanica ad subtiliorem et expressiorem rerum enuntiationem magis ac magis idonea fieret.

Saepe ac diu in Batavia commoratus et litteris, quae tunc in ea regione maxime florebant, assiduo commercio deditus, penitus perceperat illam Batavorum linguam, quae, ut ipse ait, nihil aliud re vera est, nisi felicissima propago inter omnes ex inferiori germanica stirpe prognatas, cui contigit, totius gentis in ora communiter venire. Eodem modo, cum, bis repetito itinere, in Britannia diu versatus esset, anglicam linguam perdidicerat, quam pure diserteque usurpabat, cujus notitia tirones etiam academicos Kilonii

---

(1) Textum ex editione anno MDXLIX Francofurti publici juris facti desumptum cum codice manuscripto quodam confert, qui tunc in manibus Marquardi Gudii erat.

(2) *Unt.*, 351-359.

aliquoties imbuit (1). Immo anglico sermone confectam a Walliesio grammaticam germanice vertit et in vulgus edidit (2).

Itineribus denique et benificio laudis late ac mature prolatae increverant ei artiores amicitiae cum eruditissimo quoque viro non Germaniae tantum sed omnium fere Europae regionum (3). Ut Germanos taceamus, cum nullus paene exstiterit eo tempore doctrina atque operibus conspicuus vir, cum quo non commercio epistolarum saltem conjunctus fuerit, meminisse sat erit eum Ultrajecti cum Joh. Georgio Graevio, Amstelodami cum Swammerdammio, Leidae cum Gronovio, Hagae Comitum cum Nicolao Heinsio, Const. Hugenio et Francisco Junio amicitiam contraxisse et ibidem cum Marquardo Gudio familiaritatem esse inceptam, quam ambo postea in Cimbria usque ad ultima fata continuaverunt. Nec minus Londini consuetudine Rob. Boylii, Isaaci Vossii et Henr. Oldenburgi delectatus erat. Inter Gallos, cum Petr. Dan. Huetio, Aeg. Menagio et Petr. Petito; inter Danos, cum Th. Bartholino, Ol. Borrichio, W. Wormio, Petr. Resenio; inter Suecos, cum Joh. Scheffero, Ol. Verelio, Ol. Rudbeckio litteras communicabat.

Itaque germanicae philologiae Morhofius tam prodesse poterat, quam qui maxime, cum, quidquid proficerent ejusmodi studia quotidie tot doctorum in Germania, praesertim in Britannia, Batavia, Scandia degentium virorum labore aut inventione, id statim conjunctarum amicitiarum beneficio percipere et propriae doctrinae copia augere valeret.

Ne pluribus igitur verbis dicamus, quanto praetereat Morhofius noster intervallo eum scriptorem, qui paulo ante, nec immerito quidem, summa in germanicae grammaticae studiis vigebat auctoritate, integrum nempe operosumque Schottelium. Qui sane ambo viri aetate vicini sunt; sed, si doctrinam attendas, valde inter se distantes, tam celeri progressu alter, et minor natu, Morhofius, alterum superaverit, cujus rei argumentum disciplina et ratio utriusque praebet.

---

(1) Cf. J. Mœller. *Cimbria literata*, III, p. 452. lin. 31-32.

(2) Cf. Jœcher, *Allgemeines Gelehrten-Lexicon*, III, v° Morhof.

(3) Longam virorum inclitorum seriem, quibuscum Morhofius artiorem contraxerat amicitiam, videas apud Mœllerum, *Op. cit.*, III, 460 et 463.

CAPUT II.

DE GERMANICAE PHILOLOGIAE PROGRESSU INDE A SCHOTTELIO USQUE AD MORHOFIUM.

Optime quidem ac probe a Morhofio de antecessore judicatur (1), nec tamen, ubi ille lapsus est, nota hic abstinet, nullo modo acerbus sed firmus in sententia (2). Et profecto, dum lento sed continuo proventu maturescebat in Germania ars grammatica, fuit Schottelio, tum cum decebat, legitimum decus ac justa et omnibus probata auctoritas, quem opera sua assiduo magis labore quam audaci et subtili judicio insignia grato ac bene memori virorum doctorum animo in perpetuum commendant.

At ei, qui scriptis suis, procul dubio, longe praestat grammaticis sexto decimo saeculo et primis annis septimi decimi saeculi ortis, accidit, adverso casu, ut librum, in quo congesti erant omnes longae et operosae vitae fructus, in eo ipso temporis articulo proferret, cum prope aderant summi momenti opera, quibus renovaretur linguarum scientia et ab integro mutaretur quidquid antea de linguis germanicis existimatum et statutum fuisset.

In eo enim minus instructus Schottelius erat, quod ei gotici sermonis omnis fere notitia deerat. Qui sane haud segnius omnia de hac lingua ante in vulgus edita inspexerat; sed pauca tantum nec certa satis praesto erant : quae narraverat Busbequius de Gotis in Taurica Chersonneso habitantibus ediderat que Vulcanius, quae loca excerpserant absque judicio et methodo atque inconsulte aliquantisper ex

(1) *Unt.*, 457.

(2) *Ibid.*, 427, 478 et *Polyhistor.*, T. I, Lib. IV cap. 4, § 7. — Cum Morhofii judicio plane congruit quod Jacobus Grimm de Schottelio dicit, *Grammatik*, I, (1. ed.), p. LXXIV.

Ulfilae *Codice Argenteo* Becanus (1569), Vulcanius (1597) et Gruterus (1602), quae cum inchoavisset disserendo Mercator *De literis et lingua Gothorum*, ab eodem Vulcanio postea vulgata erant (1597), ea fere sola illi materiam praebebant (1).

Nihil igitur definiti inde, nisi incerta et inania quaedam concludit, cui nihil aderat ex quo goticam linguam in grammaticae studium adhiberet. Immo quae ab eo fonte ducit, brevitate ipsa et forma verborum demonstrant illi, quae fuerit goticae linguae indoles vel quem inter germanicas dialectos locum obtinuerit, minime esse compertum. Illud tantum paulo clarius enuntiat, linguam goticam certe, si ad originem spectes, eamdem esse ac teutonicam, ut ex veteribus virorum et feminarum goticis nominibus et ex antiquis Gotorum versibus rhythmicis haud immerito judicari potest (2). Quam linguam a vetere nordica nullo modo discernere videtur (3). De Ulfila hoc unum audivit : « [Tempore Caroli Magni] tres homines docti... Sacras Scripturas in linguam germanicam transtulerunt, quod multo ante Ulfilas quidam, goticus episcopus, pariter confecisse dicitur » (4).

Quae certe non ideo memorantur, ut de Schottelii laude aliquid detrahatur : nonnulli enim post eum, quibus felicior fuit fortuna et uberior documentorum copia, inde tamen disertiora non eruerunt, nec plus quam aequalibus concessum fuit Schottelio, cujus labores scriptaque totam certe jam comparatam doctrinam complectebantur eo tempore quo enotuit ejus *Opus de Lingua Germanica* (1663) (5).

Ultima, ut ita dicam, in hoc libro verba de doctrina sua reliquit. Nam, quamquam postea, anno ipso quo interiit, epitomam ejusdem operis edidit (1676), nihil ibi novi reperies, quia, pro aetate sua et sollenni senum desidia, nullo modo nova admittere ipse poterat et in

---

(1) Cf. Raumer, p. 92.

(2) Eadem fere dixerat Gesnerus in *Mithridate* suo, nempe « Principum Gothorum nomina propria germanicam eorum linguam testari » (cf. Raumer, p. 45).

(3) *Ausführl. Arb.*, 54.

(4) *Ibid.*, 48.

(5) Fuit hic alter titulus libri, cui germanice nomen imposuerat : *Ausführliche Arbeit von der Teutschen Haubt-Sprache.*

praecepta rursus redigere. Itaque breve tantum est compendium de orthographia opus, cui titulum imposuit : *Kurtze und gründliche Anleitung*, brevius etiam quam ut inde hactenus incognita prodire potuerint.

Duobus vero annis post editum *Opus* exactis, eodem fere temporis puncto prodiere scripta duo, a quibus insolita vere incepta et inauditae doctrinae viam philologia germanica mox iniit. Namque, anno 1665, Franciscus Junius voti sui, favente viridi senectute, compos tandem , Ulfilae *Evangelia* in vulgus attulit, nondum quidem ad unguem exacta, fida tamen et integra *Codicis Argentei* editione, cui *Glossarium Gothicum* addiderat, unicum et eximium fontem, ex quo per longos annos tota vocabulorum goticorum scientia manavit. Eodem fere tempore, Resenius, multis cum commentationibus, *Eddam Snorronianam* majoremque partem *Saemundianae Eddae* publici juris fecit.

Anno vix exacto (1666), Suecici Cancellarii de La Gardie cura Archaeologica Societas Upsaliensis cœtus suos inibat ; ibi, praeside illo viro, ut civitatis studioso, ita prudente et benefico, tantum profecit brevi temporis spatio vernacularum in Suecia litterarum studium, ut mox in Germania excitarentur aemula diligentia animi. Plura in dies afferebantur doctis viris documenta : Verelius enim antiquissimas, et eas praestantissimas, historias, quas *Sagas* nominant, evulgabat, jamque rectis prope principiis, quid sentiendum esset de vera veteris islandici sermonis structura et flexione verborum disputabatur (1).

Sic uno tenore nordicum vetus ac goticum sibi vindicare philologiae germanicae concessum erat, ac nova detegere et nondum cognita in certamen deducere.

Haec igitur pretiosa « antiquae Germanorum sapientiae » testimonia Morhofius, cupido semper et novarum rerum et ineditorum documentorum ingenio impulsus, libenter excipit et inde statim inter primos in Germania doctos viros argumenta petit, quae linguae germanicae melius cognoscendae prodesse poterant (2).

---

(1) Cf. Raumer, 152, 155-156.

(2) Quod ad Ulfilam attinet, vide infra ; item quod ad gotica studia in summa *Unt.* 59-60, 65-66, 131 ; quod ad *Eddam*, cf. praesertim *Unt.*, 65,304-305 et passim ; denique, quod ad nordica studia, *Unt.*, 402-410.

Quibus nixus imprimis, multo rectius, quam hucusque evenerat, ostendit qua paterent et unde derivati essent germanici sermones, inter quos ab illo memorantur cunctae germanicae dialecti, seu veteres, seu recentiores, nullaque nisi vere germanicae originis affertur, et suus cuique servatur ordo, ab origine et communi propinquitate deductus.

Quae quidem descriptio nobis hodie expedita et in promptu posita videtur, sed longe aliter se res habebat tempore illo, ac, si longius, vel ad sequentis saeculi mediam partem prospicere velis, quam bene meritus sit Morhofius senties, qui, ea aetate, vera discreverit a miraculis confuse et enormiter fingentium, disputantium et sibimetipsis repugnantium, quantique in praesens profectus esset, haec coram viris doctis acriter et lucide profiteri atque argumentis doctrina et judicio conspicuis confirmare.

Ne rursus de probi Schottelii sententiis, vel de somniis Goropii Becani et aequalium loquamur, sat erit vidisse, totum fere per saeculum post edita Ulfilae *Evangelia* et prelo datas Snorronis Saemundique *Eddas,* in dubio et ancipiti lite manere grammaticae et linguae germanicae principia, quamvis de hac materia disseruerint iterum ac saepius, sed semper separatim, viri docti erudito potius quam aequabili et acri ingenio praediti.

Quorum ad exemplum, ut supra dictum est, Leibnitius, quoad vixit, linguas ouralo-altaïcas, vel alias, si res ferebat, inter germanicas dialectos numeravit. Pariter, ineunte decimo et octavo saeculo, Hickesius (1) batavam et frisiam et britannicam linguam ab anglosaxonica sine delectu declinavit, nec veterem saxonicum sermonem (2) a superiore vetere germanico discrevit (3), e gotico autem omnes germanicas dialectos ortas esse reputavit. Pariter denique, medio fere duodevicesimo saeculo, doctissimus *Glossarii Germanici* conditor, Wachterus, non dubitat germanicis dialectis omnes celticos sermones, sive antiquos, sive recentiores annumerare, quin etiam germanicos pro celtis habere (4).

---

(1) Cf. Raumer, 135.

(2) Id est : altsæchsisch.

(3) Id est : Althochdeutsch.

(4) Cf. Raumer, 184.

CAPUT III.

QUID DE GOTICA LINGUA ET DE SEPTENTRIONALI GOTORUM ORIGINE SENSERINT MORHOFIUS ET LEIBNITIUS.

Itaque, per tot annos, quattuor exstiterunt, non plures, docti viri, qui, prima specie, nullo admisso dubio aut verborum cavillatione, germanicam simul et goticam indolem linguae *Codicis Argentei* agnoverint et hujus operis auctorem esse Gotorum episcopum Ulfilam professi sint; in primis nempe ambo qui Ulfilae opus ediderunt, Franciscus Junius (1665) et Stjernhjelmius (1671), deinde Morhofius (1) et Ten Katius (1710).

Ceteris haec in dubio et ancipiti verecundia relinquenda videntur. Ut unum ex eis eligamus, Hickesius a gotico sane exempla sumit in etymologicis studiis, grammaticam quin etiam anglo-saxonicam et mœso-goticam in lucem edit, doctrina conspicuam, nec tamen compertum hactenus habet, cui tribuenda sit illa translatio, vel e qua Germanorum stirpe orti sint et *Codex Argenteus* et Ulfilas ipse (2). Frustra Ten Katius, cum plenis et potentibus argumentis dissereret *De affinibus inter se Gotorum et Batavorum linguis* (1710), rem manifesto enucleavit; in dubio et contentione quaestio diu mansit, quam interdum dirimere nonnulli, et insipientes quidam, conabantur.

Nec Leibnitio certe contigit, quae laus illi prave a pluribus quam decebat tribuitur, controversiam componere. Anno demum 1754

(1) *Unt.*, 44, 59, 66, 131, 137, 146.

(2) Cf. Hickesii *Thesaurum,* I : Institutiones grammaticae anglo-saxonicae et mœso-gothicae, Ad Johannem Pakinton Praefatio, fol. 4 v° (nam paginarum numeri nulli exstant).

dirempta est, amputatis tandem a Johanne Jhre diuturnis erroribus et circumcisis ad summam dubiis.

At Leibnitium, quamdiu vixit, ancipitem animo reperimus inter opiniones quas de ea re viri docti, inter se repugnantes, proferebant. Cui obscura, incerta, in diversum trahenda quaestionis hujus species semper visa est. Nam, licet interdum eo adduci videatur, ut aliquid exploratum habeat, caduca tamen, si qua fuit, sententia labitur et in dubio mox rursus jacet.

Anno 1691, die quinto mensis septembris, quae sentiat brevibus his verbis, ad Ludolfum scribens, significat : « *Codex Argenteus* an Gothicam linguam contineat nondum satis securus sum » (1). Non ultra affirmat epistola, anno 1692, septimo et decimo die mensis aprilis scripta : « Certe Ulphilae, *quae creditur* versio, longe mihi deesse videtur a Scandinaviae dialecto » (2).

Anno demum 1698, judicium suum sine dubitatione Meiero exponit : « Puto quasdam origines ex superioribus dialectis apparituras, ut ex *Ulfilae Ponto-Gothicis...* » (3). Inde, per aliquot annos, nihil in operibus ejus inveniri potest, ex quo appareat eum dubitare, quin lingua gotica germanicam indolem saltem exhibeat. Immo, in libello inscripto *Unvorgreifliche Gedanken* (4), Gotos ad germanicam originem esse referendos ita pro comperto habet, ut inde praecipuum sumat argumentum, quo Suecorum superbia retundatur.

Ex quo, ut obiter dicamus, concludere licet, illud opus tum esse compositum, cum ad hanc opinionem Leibnitius, vel in breve tempus, accessisset; unde efficitur ut circa annum 1697 scriptum sit, sicut plerique arbitrantur, non circa annum 1680, sicut voluit Schmarsovius.

Sed manet alter scrupulus, cum Leibnitius dubitet, num idem fuerit auctor versionis in *Codice Argenteo* inclusae atque Gotorum episcopus Ulfilas. In libro, cui titulum dedit *Nouveaux Essais* (1704), non reperitur Ulfilae nomen, ubi disseritur de *Codice Argenteo;*

---

(1) *Dut.*, VI, 101.
(2) *Ibid.*, VI, 105.
(3) *Ibid.*, VI, pars 2, p 155.
(4) § 32, 44, 45.

nominantur tamen ceterorum monumentorum veteribus linguis germanicis conscriptorum auctores, de quibus constat, ut Otfridus et Caedmon, nec plura afferuntur de gotico sermone quam haec verba : « Mais le plus ancien livre est celui de l'Évangile des Goths du Pont-Euxin, connu sous le nom de *Codex Argenteus*... » (1), et, quamvis copiose exponat Leibnitius, quae fuerit lingua gotica, vel quae *Codex Argenteus* fata habuerit, nusquam, quasi praecogitato consilio, nomen Ulfilae profert.

Epistolam quidem ad Wottonium si respicias (2), ibi notulam invenias in Ulfilae dialectum, « quae est antiquissimum Teutonismi monumentum », at ibi, quasi iterum de industria, *Codicis Argentei* mentione abstinuisse auctorem comperies, quamquam concedendum est illis verbis Leibnitium, ut conjici potest, idem sensisse videri atque antea, cum linguam, qua conscripta sunt Ulfilae *Evangelia* non aliam esse ac goticam judicaret.

Tandem, anno 1706, paulo magis eo adducitur, ut credat Ulfilam eumdem esse atque auctorem versionis in *Codice Argenteo* inclusae, atque hunc codicem vere gotica lingua conscriptum esse. At « conjecturam » suam ratione probat mirifica satis, ex qua comperitur illum incerta et minus lucida de re etiam tunc mente concepisse : « [*Codicis Argentei*] auctorem esse Ulfilam, quem veteres memorant, etsi pro certo dici non potest, *non ex eo tamen refellitur, quod author Teutonicus homo esse videatur* » (3). Hoc praeterea velim animadvertas, (ex quo apparet non inconsulto in supra dicto loco libelli *Nouveaux Essais* nomen Ulfilae omissum esse), in posteriore sententia iisdem plane verbis, quasi integra translatione, eadem referri, quae de egregio Codice in libro *Nouveaux Essais* prolata erant.

Denique, anno 1714, cum scriberet tertio decimo die januarii Chamberlaynio, eadem repetit iisdem verbis, quae de *Codice Argenteo* disseruit in libro *Nouveaux Essais* et in Epistola ad O.M. Nam, postquam memoravit sententiam Hickesii, « qui... ad Francos vel aliam Teutonicam gentem Gothica propiorem haec referre maluerit », ita perorat ut ad summum concludere videatur : « Itaque

---

(1) *Noveaux Essais*, éd. Janet, I, 267-268.

(2) *Dut.*, VI, pars 2, p. 218.

(3) *Epistola ad O. M.*, ap. *Dut.*, VI, pars 2, p. 182-183.

Codicis Argentei autorem Ulphilam vel Wulfilam Gothorum episcopum habendum censeo » (1).

Sequenti tamen anno in dubium reciderat ad Crozium scribens: « Je vous avoue, Monsieur, que j'ai toujours cru que le *Codex Argenteus* était écrit en langue gothique, qui est le dialecte teutonique oriental et non pas le septentrional. *Mais je serais bien aise que vous examinassiez la chose à fond...* » (2).

Namque Crozius, ejus collega et amicus, pertinaci animo linguam Ulfilae a francica origine derivatam esse contendebat, quae sententia, olim jam ab Hickesio fere prolata, non modo instabile Leibnitii judicium concussit, sed etiam ita gratia mox valuit, ut sola demum diluta sit auctoritate probatissimi viri Ihre, quo non alter duodevicesimo saeculo goticum melius novit, nec, ut supra diximus, ante annum 1754 confecta res fuerit (3).

Plane igitur apparet, quantum distet haesitatio haec a firma et comprobata sententia, Morhofii animo penitus inde ab ineuntibus studiis insita haud secus ac menti venerandi Francisci Junii : quantum distet praesertim ab ista vi et celeritate ingenii, cujus laus plerumque tribuitur Leibnitio, valenti, ut aiunt quidam, primo decreto et legitima auctoritate sua litem dirimere, quidquid obscurum esset illustrare, et ad summum certam rei notitiam praefinire.

Immo verum est, illum, quamdiu vixit, in dubio mansisse, quid esset reipsa goticum, quo vinculo haerere inter se potuissent Ulfilas et *Codex Argenteus*, et tandem decessisse, incerta quaestione, opinione neutro inclinata. Ab origine germanica derivatam esse goticam linguam aperto propemodum judicio affirmavit, non amplius; quo tamen posito, mox apparebit, quas animo retinuerit exceptiones sententiae latae, quot dubia de collocando gotico sermone inter linguas germanicas.

Quae fusius singularia ideo perlustravimus, ut, non mediocris momenti ad tractanda studia germanica soluta quaestione, insuper hoc exemplo plane congruo constaret, quantum diffidere deceat immodicis Leibnitii aestimatoribus, cum contendant, favente hodie

---

(1) *Dut.*, VI, pars 2, p. 196.

(2) *Ibid.*, V, 511.

(3) Cf. Raumer, 203.

omnium fere opinione, a summo philosopho, quocumque animi aciem intendisset et promptam mentem, cujusque quaestionis nebulas fugatas esse acumine ingenii et uno ictu diremptas controversias.

Immo plane manifestum fit illum tam diu haesisse et distractum esse, quam qui maxime, inter disputandi aut fingendi rationes e linguarum investigatione tunc ortas. Quod quidem decori est ejus prudenti et aequabili animo, contraria egregia religione et exacto scrupulo perpendenti, timenti semper celebratam vulgoque gratam opinionem aut speciosa argumenta sequi, vel amicitiae aut docti alicujus viri auctoritati inconsulte indulgere. Quem merito dixeris constanti more ita egisse, sicut scripsit ipse : « Mihi autem ultra partium studia affectusque attollenti animum, et patriam communem humani generis intuenti, contendere argumenta argumentis placet, aequali lucro, utra pars vicerit, dum veritatis cognitio augeatur (1).

At inde velim concedas, non sine aliquo jure quemquam de quadam infirmitate ingenii conjicere posse, qua ille certum judicium et deliberatam opinionem consequi non valuerit inter contraria argumenta. Et haec fortasse, re circumspecta, ex ea mentis indole pendet, quae omnia intelligere et temperare studet, et ejus ingenium atque omnem philosophandi rationem peculiari velut signo notat. Quod planius mox ostendetur in altera quaestione diuturnae istius de gotica lingua controversiae.

Quadam enim opinione impedita fuerat et implicata disceptatio inter doctissimos viros. Nota sunt quae somniaverat et apostolico impetu praedicaverat Suecus Stjernhjelmius de antiqua Suecorum origine ; cui compertum videbatur, primigeniam fuisse inter linguas Suecorum linguam, ceterarum quotquot sunt matrem, Sueciam autem omnibus Europaeis gentibus praebuisse incunabula. Nec fortuito et singulari casu, ut libenter credas, tanta amentia exstitit. Nam magister tantum et dux in ea fuerat Stjernhjelmius apud cives suos, et aemulos cito habuerat, a quibus etiam superatus ipse est. Numine quodam instincta haec insania, ut recte ait

(1) *Dut.*, IV, pars 2, p. 199.

Raumer (1), summa fide expressa erat in *Atlantide* Rudbeckii, qui, patentibus documentis, demonstrabat e Suecia enatum esse genus humanum, ibi floruisse Paradisum Terrestrem, ibi, vix creato mundo, Adamum locutum esse Suecam linguam.

Quae tam stulte fingebantur, quamvis refellerentur a sapientioribus sed paucioribus viris, eo benignius excipiebant hominum eruditorum cœtus in Suecia, quo majus inde genti suae decus adscriberent (2). Nam minus quidem audaces quam Rudbeckius, at cupientes plerique nihil Germanis invidere, eo summam doctrinam et operam intendebant, ut Suecum sermonem a ceteris germanicis linguis secernerent et sibi Gotos et goticam linguam vindicarent.

Itaque non solum se unicam et recta linea legitimam jactabant esse prolem illorum Gotorum, qui, ut aiebant, a Scandinavia profecti, incondita et innumerabili multitudine, primo Germaniam, postea imperium romanum obruerant; sed etiam hos Gotos proavos suos, quibus dederat Ulfilas Sanctarum Scripturarum versionem gentili sermone scriptam, ne quid eis cum Germanis commune fuisse videretur, quasi Sarmatas et Slavos repraesentabant.

Nihilominus, mire inconsulti, quidquid hinc a Tacito de Germanorum, illinc a Jornande de Gotorum heroicis carminibus dictum erat, pari studio ad se trahere conabantur, ut inde concluderent omnem heroicam Germanorum poesim a vetere Suecorum heroica poesi defluxisse.

Leibnitio rursus gratulantur communiter viri docti, quod ante omnes, solito ingenii impetu, Suecorum superbiae intercesserit, historiam, linguarum doctrinam et ipsam rationem in litem vocaverit, et ab autiquo tempore segregatas fuisse Scandinavorum et Gotorum linguas asseruerit.

Ille quidem, procul dubio, memoratur inter eos qui tam stultis cogitationibus obstiterunt, et germanicam originem linguis scandinavicis tribuerunt; ei quidem, quantum hae a gotica distarent, quodam loco notare semel contigit. Sero autem ad hanc rectam

---

(1) Pag. 133.

(2) Nec Sueciae quidem hoc peculiare. Cf. Claudii Dureti locum, ubi contenditur alphabetum goticum Adamo a Deo esse datum (apud Morhofium, *Unt.*, 25).

rerum notionem venit, et insuper, cum de quaestione maximi momenti, de origine Gotorum, agebatur, semper haesit anceps in disputando, neque conclusit, ut diversas opiniones componeret, nisi historiae detrimento et certa quadam, etsi minus expressa, suecicarum doctrinarum probatione.

Huic iterum et multo antecessit in ea re Morhofius, quem insuper de quaestione multo liberius disputavisse et multo firmius conclusisse mox apparebit,

Morhofius enim a principio discutit quae tentaverint Sueci, ut sibi testimonium Taciti assumerent (1), et necessaria conclusione utitur: Romani, ait, et ipse Tacitus, cum mores veterum Germanorum describerent, nullos inducere barbaros potuerunt, nisi quos commercio aliquo noverant ; nusquam autem Romanis cum Suecis quidquam rei fuisse historia comperimus. A carminibus insuper heroicis apud omnes gentes incipit, ut historia, ita poesis, nec aliter apud Suecos atque ceteros, vel Sinenses aut Americanos (2), factum est. Quae a Jornande Gotis tribuuntur minime his peculiaria sunt, cum eadem aut similia apud omnes germanicas gentes reperiantur (3). Majore fortasse sedulitate Sueci thesauros suos e vetustis chartis eruerunt quam Germani ; ut autem tantum studium laudare et Germanis commendare decet, ita prave fingeretur Suecis solis hujusmodi carmina contigisse (4). Nam quae Germania protulerit multa testificantur vestigia, desidia nocente diu ignota quidem, sed in lucem undique emersura, dum adsit paulo acrior diligentia (5).

Postea Morhofius non cessat refellere quae Stjernhjelmio, Rudbeckio gregalibusque videbantur esse argumenta, demonstrans, quod historiae fidei congruit, e Germania in Scandinaviam Gotos, vel aliquot eorum stirpes pervasisse, minime eosdem a principio in Germaniam e Scandinavia transiisse (6), et affirmans nec ob historiae, nec ob linguarum documenta dubitandum esse de gotici sermonis

---

(1) *Unt.*, 279 sqq.
(2) *Ibid.*, 289 sqq. et 403 sqq.
(3) *Ibid.*, 283 sq. et 297.
(4) *Ibid.*, 404
(5) *Ibid.*, 282, 284-290.
(6) *Ibid.*, 279 et passim.

indole germanica vel de germanica Gotorum origine (1); concludit denique, ut immodicum, ita irritum esse Suecorum studium, nec peculiarem antiquitatem eorum dialecto tribuendam esse, quoniam et Germanicus et Suecicus sermones a principio non differant inter se atque a communi stirpe, ab eadem nempe antiqua lingua germanica, deriventur (2).

Quae aperte conclusa in animum referunt locum, ubi non minus acriter et fere iisdem verbis eadem locutus est Leibnitius, cum in libello *Unvorgreifliche Gedanken* dicit : « Alles auch was die Schweden, Norwegen und Islænder von ihren Gothen und Runen rühmen, ist unser, und arbeiten sie mit aller ihrer zwar lœblichen Mühe vor uns; massen sie ja vor nichts anders, als Nord-Teutsche gehalten werden kœnnen, auch von dem wohl berichteten Tacito und allen alten und mittel-Autoren unter die Teutsche gezehlet werden; mit ihrer Sprach auch selbst nicht anders zu Tage legen, sie mœgen sich krümmen und wenden wie sie wollen » (3).

Non alio modo, sed multo ante Leibnitium, quae hic serius disputavit in *Brevi Designatione*, expresserat Morhofius (4). In hoc tantum, si ambos inter se conferas doctissimos viros, aliquam reperias dissimilitudinem, quod rursus probatum est, Morhofium sine ulla dubitatione judicavisse, Leibnitium contra de sententia sua quadam exceptionis et variationis specie aliquid detraxisse.

Quod quidem ad summum disputationis attinet, irridet profecto Leibnitius, perinde ac Morhofius, Stjernhjelmii, Rudbeckii similiumque somnia, laudat tamen pariter patrio decori ab eis hucusque impensam curam (5); sed usque eo tantum ambo similes. Namque totus et acer Morhofius in refellendo, obliquus contra et haesitans apparet Leibnitius, ita conciliandi cupiditate instinctus, ut quae concedit causae caput adversariis adjudicare videantur.

Hoc reipsa Leibnitio maxime videtur a veri similitudine abhorrere,

---

(1) Cf. supra et *Unt.*, 48-51, 68, 483, 505.
(2) *Unt.*, 297.
(3) § 45.
(4) Cf. Neff. *Progr.* II, 34-35; Raumer, 163-164.
(5) Cf. *Dut.*, IV, pars 2, p. 199 et 205 cum *Unt.*, 279 et passim.

e Scandinavia profecta esse Germanorum, Gotorum ac ceterorum hominum agmina, quae paulatim mediam Europam occupaverunt, et falso esse hanc regionem pro « vagina gentium », habitam, « quae nunquam valde populosa fuit » (1). Itaque libenter arbitratur Germanos, e Baltici maris littore ortos, in Scandinaviam ingressos esse, seu mari trajecto, seu facto circuitu. Huic autem migrationi, Sanctarum Scripturarum observantissimus, remotissima tempora assignat, cum ab alta Asia ad Occidentis partes multi populi affluxere (2). At concedit invicem posterius colonias fortasse e Scandinavia in Germaniam transiisse (3). Quin etiam hoc legitur dc Gotis in libro *Nouveaux Essais*, quod satis sententiam ejus detegit : « Mais c'est parce qu'on croit avec quelque probabilité que les Goths du Pont-Euxin sont venus originairement de Scandinavie ou du moins de [Janet : dans] la mer Baltique... » (4). Denique in *Brevi Designatione* (1710) ipsis verbis declaratur : « Et quamvis Germani transmarini primi seu vetustissimi a nostris haud dubie orti sint, non tamen caret verisimilitudine postea juvenum acerrimorum globum ex Scandinavia rursus egressum in cismarinis regnum Gothorum condidisse » (5).

Quo tandem tendit haec conclusio, nisi expresse comprobat Suecorum placita ? Nihil enim aliud postulabant doctissimi inter eos viri ; nam qui Gotos et Gotici imperii conditores profectos esse e Scandinavia fatebantur, hos illi omnibus germanicis gentibus praeeminere concedebant et re vera de summa controversia manus dabant.

Quae autem ab origine Gotorum aut ab historiae documentis colligebant, non unica in litem adducebant Sueci. Nam, linguae quoque ratione in judicium vocata, vetustam originem confirmare cona-

---

(1) *Dut.*, IV, pars 2, p. 196

(2) *De Origine Germanorum* ap. *Dut.*, IV, pars 2, p. 204-205.

(3) *Dut.*, VI, pars 2, p. 218-219 in Epistola ad Wottonium (1705); eadem rursus occurrunt, vel aucta dubitatione, ap. *Dut.*, VI, pars 2, p. 176-177 et praesertim VI, pars 2, p. 147 in Epistola ad Meierum (1696).

(4) Janet, I, 268.

(5) *Dut.*, IV, pars 2, p. 196.

bantur ipsa nordici sermonis obscuritate et implicata verborum structura. Et haec insuper allegata merito aspernatus est Morhofius, obscuritatem istam re vera vitium esse demonstrans, corruptae et in deterius lapsae linguae notam, a Scaldis derivatam, qui optimo jure Septentrionales *Meistersænger* haberi possent (1).

(1) *Unt.*, 292-297. — Nec plura de longa controversia, qua Morhofius contendit cum Rudbeckio et aliis de origine tam celebrati vocabuli *Barditus* (*Unt.*, 297 sqq.). Hoc tantum dicendum arbitramur, ab eo rejectam esse declinationem a suecico verbo : *barda* = vulnerare, et, Ammiani Marcellini Vegetiique auctoritate adhibita, lectionem : *Barritus* antehabitam esse. Manet hodie lectio : *Barditus*, at non constat unde verbum hoc derivetur (cf. Taciti *Germaniae Liber* ed. H. Schweizer-Sidler [1877], p. 9 ad notam.).

CAPUT IV.

DE GOTICA LINGUA ET SEPTENTRIONALIBUS DIALECTIS A MORHÓFIO ET LEIBNITIO IN CLASSES DESCRIPTIS.

Discussis igitur hujusmodi erroribus, Morhofius suum cuique linguae germanicae ordinem assignat, primum cunctis scandinavicis sermonibus, ex altera parte, scilicet nordico veteri (1), islandico, danico (2), suecico (3), norvegico (4), — postea ex altera parte, gotico, quem, ut par est, et sui juris et praecipue antiquum esse docet.

At invicem cavet, ne quid nimis amputet, ne quid nimis admittat, nec inter linguas germanicas alteram alteri immerito praeponat. Et recte, nam de ea quaestione multi, seu vivo illo, seu postea, in errore versati sunt. Vel Suecorum superbiae repugnantes, vel studiis faventes propriis viri docti quidam ab una aliqua, inter germanicas linguas, omnes alias derivabant. Imprimis Franciscus Junius, cui facile ignoscere licet, utpote primo Ulfilae editori, goticum contendit fuisse e germanicis sermonibus antiquissimum, ab una stirpe cum graeco ortum, et ab eo ceteras dialectos germanicas originem ducere (5). Eadem ratione Hickesius in arbore genealogica linguarum germanicarum omnia derivat a gotico [1689] (6). E contrario Wachter [1737] anglosaxonicum sermonem cunctarum linguarum

(1) *Unt.*, 49-50, 55, 65, 115, 117, 132-133, 292-297, 402, 404-405.
(2) *Ibid.*, 6, 37, 48-50, 61-62, 84, 95, 133, 142, 145-146, 297, 409.
(3) *Ibid.*, 37, 48-50, 115, 140, 142, 297, 408.
(4) *Ibid.*, 49-50.
(5) Cf. Raumer, 129 et 134.
(6) *Id.*, 134-135.

germanicarum communem esse fontem arbitratur (1). Ihre denique [1754], ut Franciscus Junius gotici studio, quod et ei fuit familiare, indulgens et Suecorum, civium suorum, altiores animos remittens, rursus gotico primarium locum ita restituit, ut ex eo omnes linguas, ipsam graecam et latinam, deflecteret (2).

Igitur, inter tot contraria, non mediocris utilitatis nec spernendi meriti erat, jam anno 1682 sententias concipere disertas et circumscripte definitas, quales apud Morhofium reperiuntur.

Morhofius enim antiquissimam dialectum, inter germanicas linguas, ex qua supersint testimonia, goticam esse concedens, et ab illa asservatas esse quam maxime incorrupta integritate germanicas radices, eam tamen a primigenia germanica lingua seponit et hujus tantummodo esse dialectum dijudicat, antiquitate profecto omnibus aliis praestantem (3). Quam sententiam Leibnitius suscepit et, rectus eo loco arbiter, his verbis breviter contraxit : « Ulphilae dialectus, quae est antiquissimum Teutonismi monumentum, non magis ad Septentrionales quam ad nos pertinet » (4). Idcirco Morhofius, utpote vetustissima quae supersunt, ex ea eruta exempla cum aliis conferenda in etymologicis studiis usurpat, et, cum res postulat, ad illam quae ab ipso posita sunt refert, tanta idonei judicii firmitate, ut eum hodie quicumque in linguarum doctrina versati sunt laude merito prosequantur.

Morhofius vero, nulla confusione permiscens goticam linguam cum alia quavis vetere germanica dialecto, eam praesertim claro discrimine ut a vetere nordica, ita a superiore vetere germanica segregat (5), simulque notat, haud sine ratione, inter germanicas dialectos, nordicas proxime cum gotica affinitate conjunctas esse, quod eo tempore valde incertum erat (6). Nec falso, nam hodie,

(1) Cf. Raumer, 184.

(2) *Id.*, 201-203.

(3) *Unt.*, 48-51, 68, 483, 505.

(4) *Dut.*, VI, pars 2, p. 218-219.

(5) *Unt.*, 68 et passim.

(6) Anno enim 1698 doctissimus germanicae philologiae professor Meier, in commercio epistolico cum Leibnitio, dubitat adhuc utrum hunc sermonem ad saxonicum referre deceat (Cf. *Dut.*, VI, pars 2, p 156).

postquam agitata diu et varie saepius dirempta est controversia (1), Morhofii judicio assentiuntur viri docti atque propiorem goticam censent esse scandinavicis dialectis, quas in eadem numerant familia (nempe orientali germanica), segregatis ceteris et in occidentali germanica familia collocatis.

Quae cum ita essent, Leibnitio rursus die quadam contigit recte dicere : « Incertitudinis et ambiguitatis causa malim ea sola appellari Gothica, quae ex *Codice Argenteo* sumuntur; haec enim talia esse indubitatum est; alia scandia appellari malim (2) ». Et satis fuit ut laudaretur, quod has linguarum stirpes lucide primus sejunxisset et, si ipsi Raumero credimus, « quae tamdiu, maximo studiorum damno, promiscua fuerant, ea demum in ordinem disposuisset (3) ». Praemissis vero argumentis satis manifestum est, eum minime ceteris, ut affirmant, in ea re antecessisse.

Quid autem de ratione censeat, qua segregatae aut inter se conjunctae linguae istae sint ex his verbis ad Ludolfum scribentis abunde apparebit : « Certe Ulphilae quae creditur versio longe mihi deesse videtur a Scandinaviae dialecto : hanc enim potius anglosaxonicae convenire agnosco... Illud tamen non absurdum est remissas ex Scandinavia in Germaniam colonias ipsosque Saxones Scandinavicae originis esse » (4). Nec aliter, Meiero dicit : « Puto..... ut hodie Jutas, ita olim Saxones cognatos cum Danis et Suecis populis fuisse, etiam lingua rem confirmante » (5). Postquam igitur e Scandinavia profectos esse regni gotici conditores jam antea concessit, e Scandis nunc Saxonum et Anglo-Saxonum proavos ortos esse existimat; quid confusius de progenie et cognatione sermonum istorum proferri poterat?

---

(1) Exempli gratia, Benfeius, p. 245, hoc Leibnitio decori vertit, quod goticam linguam cum anglosaxonica contulerit (melius dixisset : scandinavicam cum anglosaxonica ; Cf. infra).

(2) *Dut.*, VI, pars 2, p. 177.

(3) Cf. Raumer, 164.

(4) *Dut.*, VI, pars 2, p. 105-106.

(5) *Ibid.*, VI, pars 2, p. 147.

CAPUT V.

DE INFERIORIBUS GERMANICIS DIALECTIS QUID MORHOFIUS SENSERIT.

Morhofius profecto ordinat juxta hanc primam speciem, vel potius has duas sermonum species, non anglosaxonicum solum, sed quidquid ad inferiorem germanicam stirpem attinet, ex qua non immerito putat anglosaxonicum postea derivatum esse. At ideo haec ibi collocat, hodiernae linguarum doctrinae congruens, quod recte censet eadem, naturali quadam commissura, media quasi via inter goticam scandinavicasque linguas ex altera parte, ex altera autem parte superiores germanicas dialectos locum obtinere. Nec eum fugit artiore vinculo cognatos esse inter se et inferiores et superiores germanicos sermones, quamvis dissimilis sit apud utrosque et multorum vocabulornm adspectus et praecipue consonantium habitus. Namque haud se confert, ut Leibnitius, ad ea quae communia inter se, incerta similitudine, dialecti exhibeant, aut dubiae memorent historiae de hominum migrationibus. Sed argumentis doctrinae fide comprobatis nititur, quae hodierna quoque linguarum ratio ad ordinandas dialectos solet adhibere, scilicet « altera quam dicunt *Lautverschiebung* » (quod latine « alteram consonantium substitutionem » appellare licet).

Et prioris etiam « *Lautverschiebung,* » vel Grimmianae legis jam observaverat praecipua momenta, ut apparebit cum de etymologia agetur. Altera autem ei recte videtur ex eadem inclinatione pendere, qua jam antea linguarum germanicarum vocabula primum immutata erant (1). Itaque, cur differant inter se inferiores et superiores germa-

(1) *Unt.*, 106.

nici sermones, minime fortuito casu aut gliscente in quasdam dialectos corruptione, sed solita et naturali hujus motus continuatione expedit.

Longe quidem, inquit, inter se nunc distant, admissis paulatim omnis generis mutationibus, sermones illi ; sed magis etiam dissentiunt, discursu temporis, multi qui similes ab origine fuerunt. Proclivitas ad quemlibet sonum aut major quibusdam oris partibus concessa actio ita sensim vocabulorum naturam formamque flectere valent, ut artissimo nexu inter se in eadem lingua conjunctae dialecti nihil omnino cognati retinuisse videantur (1) ; cujus conversionis et lingua graeca, et romanicae, et praesertim germanicae linguae multa praebent documenta (2). Haec rursus iisdem fere verbis Leibnitius in *Brevi Designatione* explicat et totam a Morhofio jamdudum allatorum argumentorum seriem tantummodo iterat (3).

Errat praeterea et merito reprehenditur, qui putat eo vitiosiorem et corruptiorem sermonem esse, quo longius in septentrionales partes protendatur. Quod longe secus est ; nam, si consonantium mutationes respicias, Germaniae superioris, praesertim meridianae, dialectos a primigenia Germanorum lingua maxime abhorrere compertum habeas (4). Saxonicus sermo contra ut et suecicus, danicus, islandicus, goticus, hujus commutationis immunes permansere, et fidelius intemeratam pristinae illius linguae indolem servaverunt (5). Multo propior, ut exemplum afferatur, veteri linguae germanicae remansit hodierna Batava et multo minores experta est, labentibus saeculis, mutationes, quam ejusdem aetatis superior germanica, quae, prae illa, admodum recens dialectus haberi potest (6).

Illud autem in eo studiorum angulo, Morhofium potissimum tangit, dentalem nempe sonum in sibilantem verti, si vocabulum quoddam hinc apud inferiores, illinc apud superiores germanicas dia-

---

(1) *Unt.*, 110-111.

(2) *Ibid.*, 19 et 33.

(3) Cf. *Dut.*, IV, pars 2, p. 194-195 cum *Unt.*, 19, 33, 483 et passim.

(4) *Unt.*, 50-51.

(5) *Ibid.*, 483.

(6) *Ibid.*, 255.

lectos respicias (1). Insignis sane et peculiaris nota illa est, qua nostro tempore docti viri, quemadmodum olim Morhofius, utuntur, cum de ordinandis germanicis sermonibus et antiquis et recentioribus quaestio est. Inter praecipua, quibus distinguuntur, signa insuper optimo jure enumerat istam informandarum diphthongorum affectationem, cui re vera superiores germanicae dialecti prae ceteris indulgere solent. Convenire denique indicat litteram *t* apud superiores cum littera *d* apud inferiores dialectos et hujus consensus plurima affert exempla, ut : angl. *do* = germ. *thun* ; holl. *door* = germ. *thüre* aliaque multa, cum de ejus etymologicis studiis agetur, infra enumeranda.

Nec minus feliciter ordinat inferiorum germanicarum dialectorum speciem : his enim praeponit veterem saxonicum (altsæchsisch) (2), juxta quem merito Frisionum linguam collocat (3) et a quo fonte postea batavicam ceterasque hodiernas inferioris Germaniae vernaculas ortas esse recte arbitratur.

Huic autem generi linguarum, perinde ac Schottelius (4) et Leibnitius (5), praecipue favet, et quamquam accuratum et politum sermonem, quo in scriptis docti viri utuntur, vulgo *neuhochdeutsch* dictum, nec despicit, nec negligit, in eum contra promovendum et excolendum indefessus operam et laborem impendit, vernaculas tamen illas, in quibus ipsius nativa erat, se eximie diligere fatetur doletque minus prospere eis cessisse, quam batavicae, cui soli humanioris cultus laus contigerit (6), et in dies eis minitari superiorem germanicam ; quas saltem non prius exolevisse vellet, quam in exilem et siccam, licet politam, superiorem germanicam succum suum et vigorem infudissent.

E Saxoniae oris profecti sunt primi Germani, qui anglo-saxonicam, facta cum Anglorum lingua commixtura, in Britannia condiderunt; qui sermo, latinis et britannicis sermonibus paulatim retro-

---

(1) *Unt.*, 482.
(2) *Ibid.*, 50, 322.
(3) *Ibid.*, 37.
(4) *Ausf. Arb.*, 157-158, 176, 690, 1031 sqq.
(5) *Unv. Ged.*, § 51.
(6) *Unt.*, 110, 258.

actis, eorum reliquias submersit (1). Anglica inde, temporis decursu, derivata longius quam anglo-saxonica a vetere lingua germanica sensim defecit (2). Quanti sit anglica Morhofius fatetur, nec tamen eam summi aestimat; immo Constantino Huighens severius de ea judicanti assentitur : « Haer taele is alle taelen, en als 't haer belieft Griesch en Latyn syn plat Engelsch » (3). Permixta quidem cum anglosaxonica gallica et mutuatis ab omni origine vocabulis, anglicae germanica indoles non est ablata (4), cujus germanica praesertim remansit syntaxis (5); concedendum etiam eo interdum fieri, ut majore vi ac brevitate dicere valeant Angli (6). Sed invicem spurio incremento corruptae sunt genuinae ejus dotes et germanicae multo postponenda est (7). Melius de eadem non cogitat Leibnitius ; immo asperius fere dicit : « Die englische Sprache hat alles angenommen, und wann jedermann das Seinige abfodern wollte, würde es den Englændern gehen, wie der Esopischen Kræhe, da andere Vœgel ihre Federn wieder gehohlet » (8).

Haud e manca et inchoata cognitione sententiam Morhofius de anglica lingua, ut fortasse de hispanica, protulit; hunc enim sermonem callebat et doctrina et usu, sicut supra dictum est. Itaque non istam tantum discordem vocum originem vituperat, « effeminatam quoque pronuntiationem, quae nihil virile sonat » (9), angustam scribendi rationem (10), saepe obscuram et implicatam syntaxim, proclivius ingenium ad sollennia metaphysices verba et erutas a scientiarum nomenclatura translationes (11) reprehendit : postremo fictam sic in pejus illius linguae imaginem veram esse

(1) *Unt.*, 40, 227, 233-236.
(2) *Ibid.*, 228.
(3) *Ibid.*, 244.
(4) *Ibid.*, 42-43.
(5) *Ibid.*, 228.
(6) *Ibid.*, 229-231.
(7) *Ibid.*, 228-230.
(8) *Unv. Ged.*, § 68.
(9) *Unt.*, 230.
(10) *Ibid.*, 232.
(11) *Ibid.*, 671-672.

morum anglicae gentis effigiem declarat, cui sane multas virtutes largitur, unam tamen deesse dolet, scilicet modestiam (1).

Paulo acrius fortasse dictam esse causam fatendum est, at magnam veri partem latae sententiae adfuisse constat et quibus vitiis anglica lingua laboret a Morhofio lucide nec ultra modum esse notatum. Ac certe justam animadversionem meriti erant, ea aetate, anglici scriptores ; tanta enim superbia cunctas exterarum gentium contemnebant linguas, unica anglica laudibus onerata, ut quae immodeste jactarent, ut ita dicam, certamen cierent. Qui non tantum praecipuas Europae linguas spernebant, italicam nempe, hispanicam et gallicam (2), sed eo etiam arrogantiae processerant, ut teutonicum sermonem rudem et horridum increparent. Postquam igitur Morhofius jam antea significaverat quanto praestarent romanici sermones, forma et numero, ut agnovit ipse, prae ceteris pollentes, officio erga patrium sermonem fungitur, revocatis ad verecundiam Anglis in germanicam linguam, cui anglica modeste quidquid servaverit virtutis acceptum referre debeat (3).

---

(1) *Unt.*, 253.
(2) *Ibid.*, 229-230.
(3) *Ibid.*, 232.

CAPUT VI.

DE SUPERIORIBUS GERMANICIS DIALECTIS QUID MORHOFIUS SENSERIT.

Morhofius enim et ejus aequales, vel omnium temporum cives ejus, nulli imparem esse linguam germanicam semper existimaverunt; unam concedit ille huic praestare, latinam, vix quibusdam inter romanicas, ut vidimus, majorem venustatem suavioremque sonum et numerum largitus. De qua sententia non est quod probo viro litem intendamus, quippe qui officio fungatur, cum linguae germanicae virtutes summis laudibus extollat; quin etiam, non infitias eundum, eum, ut acri et interdum petulanti, qui quidem patriae et linguae amantissimum virum non dedecet, animo causam dicat, ita aequi et temperati censoris modum semper servavisse, cum nullam ab aliis prolatam sententiam, nisi causa diligenter elaborata ac pertractata quaestione, aut admiserit aut refellerit, nec ulla ipse, nisi e probata doctrina eruta, argumenta collegerit (1).

Non est nunc tempus inquirendi quid de germanica lingua in universum sentiat, de quo postea fusius agendum, cum singula ejus consilia de ea reformanda et ornanda persequemur. Tunc plane apparebit, eum libero ubique animo juris aequabilem tenere rationem, sive patriae linguae virtutes in lucem profert, seu ejusdem vitia sincera fide agnoscit. Hic dixisse sat erit vel laudantis vel vituperantis judicium assidua non germanicae superioris tantum linguae cum antiquioris tum recentioris, sed etiam cunctarum, in quas ea longe lateque diffusa est, dialectorum pervestigatione et notione niti.

(1) Cf. praesertim *Unt.*, 448-465.

Nec mediocris pro temporum ratione laus illa est. Notum est enim multos diu viros doctos veterem saxonicam linguam a vetere superiore germanica non discrevisse, et in eo Hickesium ipsum, quamquam nonnulla *Heliandi* fragmenta ediderat, ineunte XVIII° saeculo, haerere (1). Morhofio contra adest jam antiquae superioris germanicae ita familiaris et lucida scientia, ut non modo compertum habeat, hanc ab illa, quod supra exposuimus, et vocalium habitu et praesertim consonantium inflexione valde discrepare, sed hujus etiam duas dialectos praecipuas discernat, scilicet alemannicam et francicam (2), atque insuper memoret ad eamdem aetatem et stirpem sparsas et huc usque vix spectatas, quae Legibus Barbarorum traduntur, Burgundionum et Langobardorum linguarum reliquias esse referendas (3).

Quamvis autem magna laude et admiratione opera vetere superiore germanica dialecto exarata, ac prae ceteris Otfridi *Evangelia,* ab ipso saepissime in testimonium vocata (4), prosequatur, eum tamen offendit rudis quaedam et incondita hujus linguae facies : cui cultiorem concinnioremque medii aevi germanicum sermonem multo anteponit (5), quamquam aegre fert in eo, admissa saepius aequo vocum contractione, asperiores interdum occurrere sonos, quam quos hodiernae aures, mollioribus modulamentis assuefactae, tolerare valeant (6).

Idem porro durum raucumque pronuntiandi genus in recentioribus nonnullis sermonibus ejusdem stirpis non modo permansisse, sed etiam ab eis amplificatum et in pejus versum esse perquam moleste fert, ac fatetur lepidissimos etiam eorum (inter quos nimio fortasse, at certe venia digno, impulsus amore, nativo ipsius, Misnensi nempe, primum tribuit locum) hoc vitio peccare, quo superioris Germaniae dialecti, a montanis hominibus usurpatae, aures asperrime laedant.

---

(1) Cf. Hickesii Dissertationem epistolarem in *Thesauri* Tomo I apud Raumer, p. 184.

(2) *Unt.*, 64, 147, 312, 316, 454.

(3) *Ibid.*, 102 et 118.

(4) *Ibid.*, 102, 316-317, 319-322, 403, 454 et passim.

(5) *Ibid.*, 325.

(6) *Ibid.*, 479-480.

Multum tamen abest, ut istos sermones, Opitii et Schottelii more (1), contemnat aut eos, solito illius aetatis errore, nihil nisi corruptum dicendi genus exhibere fabuletur. Totam contra omnium ad hanc stirpem pertinentium dialectorum seriem, ducente Scioppii libello *Consultationes* inscripto, perlustrat et cuique earum, sive ex peculiari natura, seu ex iis, quae lex dicta *Lautverschiebung* praebet, indiciis, justum assignat ordinem. Hoc autem argumentum, quotiescumque datur locus, sibi iterum atque iterum potissimum premendum arbitratur, in eis vera linguae fundamenta jacere (2), ab eis ortum esse illud, quo cultiores viri utuntur, dicendi genus atque ex hoc perenni, nec non semper puro ac vivo fonte multa, ut copiosius ostendetur postea, hauriri posse, quibus istam linguae formam, quae in scriptis praevaluit, et locupletare et regenerare in promptu sit.

(1) Cf. praecipue *Ausf, Arb.*, 158.

(2) Cf., exempli gratia, *Unt.*, 50-51.

PARS III.

DE MORHOFII ET LEIBNITII STUDIIS AD ETYMOLOGIAS INQUIRENDAS SPECTANTIBUS.

CAPUT I.

QUAM LEIBNITIUS OPERAM ETYMOLOGIARUM SCIENTIAE TRIBUERIT.

A Leibnitio et peritis linguarum viris, quos vergente XVII° et ineunte XVIII° saeculo ille promovit et concitavit, graviora atque severiora rei etymologicae studia primum esse instituta, paulatim apud recentiores opinio invaluit, cum praeclarum philosophum, optime quidem rara sedulitate et miranda industria de ista disciplina meritum, sui laudatores ita depingere non dubitaverint, ut eum facile existimaveris tunc solum exstitisse, qui de etymologice intelligenter et considerate curaverit.

Solus enim, si his credas, perspicue est intuitus, qui fructus, quae commoditas inde ad explicandas historiae origines percipi possit; solus quoque etymologicam artem in pristinam famam restituit, ex qua ipso eorum errore, qui eam studiosissime tractarent, jamdiu delapsa erat; solus denique eam distincta scrutandi ratione et via certisque legibus eodem tempore donavit, quo ei vel propriae diligentiae et inquisitionis fructu, vel conjunctarum cum eruditissimo quoque amicitiarum beneficio auctam inauditum in modum materiam afferret (1).

---

(1) Cf. quidquid invicem de ejus laude praedicant Pezzi, *Introduction à l'étude*

Injuste profecto ac simul inaniter faceret, qui negaret ejus opera et studio etymologicae multa et varia beneficia contigisse, eumque, per longum operosae vitae spatium, hanc multiplici, quamquam saepe inaequali, benevolentia esse prosecutum.

Non modo enim eruditos viros, qui vel conditione vel ingenio ad suscipienda hujusmodi studia proniores forent. aut quoquo modo ad ea amplectenda impelli possent, tum evocavit et sustentavit, tum incitavit et stimulavit ; sed etiam, adhibitis in hujus scientiae commodum consuetudinibus, quas in remotissimis regionibus cum praestantissimo quoque inter litteratos et regum ministros legatosque junxerat, amplissimas ubique de omni linguarum genere investigationes institui curavit ; praeterea, quam aliis indicaret viam ipse ingressus, hinc antiqua linguarum testimonia et varia cujusque sermonis specimina, si modo facultas dabatur, indefessus collegit, illinc tractandis et interpretandis, quae aut jamdudum praesto essent, aut paulatim nova accederent, documentis incubuit, eaque ad enodandas etymologias adhibere conatus est, qua occasione insuper eo adductus est, ut passim ac fortuito quaedam enuntiaret aut pressioribus verbis conciperet praecepta, quae disserenti auctori ad etymologicum studium certius definiendum apta esse subito viderentur (1).

---

de la science du langage, 46-49, 61 ; M. Müller, *La science du langage*, trad. Harris et Perrot, 2e éd., 159-163; *Nouvelles leçons sur la science du langage*, trad. Harris et Perrot, 16 et passim ; Benfey, *Geschichte der Sprachwissenschaft*, 244-254 ; Rückert, *Geschichte der neuhochdeutschen Schriftsprache*, II, 325 sqq ; Guhrauer, *G. W. Frhr. von Leibniz*, II, 127 sqq.; Raumer, *Geschichte der germanischen Philologie*, 161-164 ; Neff, *G. W. Leibniz als Sprachforscher und Etymolog*, II, 21-22, 39-40, 44-47, 49-53 ; Pfleiderer, *G. W. Leibniz als Patriot, Staatsmann und Bildungsträger*, 584-728. — Inter quos, Raumer et Neffius tantum laudes hactenus temperant, ut Leibnitii praecursoribus et aequalibus debitae gratiae tamen partem aliquam concedant.

(1) Non est quod fusius hoc loco exponamus quam obstinatis precibus Leibnitius omnes obsecraverit, quorum ope aut auctoritate aliqua diversarum in omnibus orbis terrarum partibus usurpatarum linguarum specimina possent parari, aut iterum narremus qua rara industria tum missionarios [si Leibnitiano verbo uti fas est] et viatores, tum legatos et ministros, immo principes regesque ipsos, in laboris societatem adsciverit. Hanc enim ejus operis partem, nunquam certe

Quanticumque autem pretii, nec immerito certe, universam Leibnitii, pro etymologice causam agentis, industriam feceris, non infitias tamen eundum, in singulis eum non pari ubique laude esse cumulandum. Cum enim plane probandus fuerit quamdiu in id tantum incubuit, ut eruditos incitaret, profanos alliceret et ad etymologicam disciplinam undique novos fautores et adjutores perduceret; paulo minus jam commendanda videtur ejus documenta et linguarum specimina congerendi ratio, nec forsitan injuste fecerit, qui ei, vel quaedam ad rem etymologicam pertinentia praecepta obiter concipienti, vel vocum origines rationesque temere satis scrutanti, non nisi parce omnino assensus fuerit.

Namque imprimis erecti ad testimonia quamplurima congreganda viri laudem is forsitan non ex proposito detrectare visus fuerit, qui animadverterit, eum in ista conquirenda caecum et praecipitem plerumque irruisse, et cuncta promiscue, undecunque essent oblata, nullo adhibito delectu assumpsisse tantamque talia avidius insequentis alacritatem eo evasisse, ut disparia tantum et confusa omnino constituerentur collectanea quaedam, ex quibus nullos prorsus ad promovendam etymologices doctrinam fructus carpere liceret.

Etymologicae autem illa aetate multo minus nova experimentis subjicienda materia, quam nova experiendi via ac ratione opus erat, neque de ea adeo bene meritus is erat reputandus, qui eam quasi repentina novorum documentorum mole obrueret, qua tantummodo difficilior cognitarum jam linguarum partitio et distributio quaeque fieret simulque augeretur tum conjecturarum temeritas, tum comparationum libido. Hoc enim ante omnia necesse erat, ut etymologico studio definita imponeretur norma, qua jamdiu comperta et explorata in ordinem distribui et e notorum disceptatione certa quaedam et firma argumenta concludi possent..

Quod quidem artis etymologicae vitium minime ipsum Leibnitium fugisse multi docent ejus librorum loci ; et variae ab eo huc illuc sparsae animadversiones testantur, eum plane intellexisse quam

---

detrectandam, omnes supra commemorati auctores abunde illustraverunt. Supervacaneum quoque videtur animadvertere quantum Leibnitii incepta ad Hervasium Adelungiumque incitandos valuerint.

multa essent acquirenda, si etymologice unquam ars quaedam et disciplina dici deberet.

Sed quominus sese in has quaestiones expediendas totum conferret et eis solis continuam curam impenderet, ipsa vetabat distractae inter diversissimos labores vitae ratio. Adde quod etymologicam artem colendam nequaquam gratuito et proximae utilitatis oblito amore susceperat; sed, ad eam primum secreto quodam impulsu perductus, cui animus ad conjecturas proclivis facile indulserat, hanc potius ex ea parte intuebatur, qua cum universa humanae mentis scientia conjuncta esset, et utilitate potissimum metiebatur, quam graves ex historia et philosophia locos tractanti ex ea capere liceret.

Quotiescumque autem se raptim ad etymologicam convertebat, praematuras quasdam complexiones inde conficere de improviso conatus, primo statim sentiebat, quam incerta essent, quae dicerentur, istius disciplinae praecepta, quam temeraria ejus concludendi ratio, quam infirma et manca ejus methodus, si modo methodum nominare liceret observationes quasdam, quibus quisque libidine et licentia sua pro legibus uteretur. Necopinato igitur et quasi praetercurrens, ubi res ita ferebat, notanda quaedam indicabat aut ipse statim solita subtilitate et brevitate colligebat et concipiebat, quae vel ad singulas rei etymologicae partes vel ad universum hujus disciplinae studium valde pertinere viderentur; quo facto protinus ad causam redibat aut ad alias res transibat, cum vario studiorum vortice ad novas semper curas et cogitationes raperetur (1).

Cum igitur, praecipiti cursu, etymologicae summa quaeque, ut ita dicam, libaret, ac, currente calamo, subtilia quaedam et ad concinnam formam redacta praecepta enuntiaret, parum profecto curare videbatur, qua ratione aut quo nexu quaeque subito succurrens sententia cum qualibet alia, ab ipso jam antea alio loco emissa,

---

(1) Istam animi inclinationem, qua semper ad nova quaeque primo statim amplectenda praeceps ferebatur, subtiliter describit unus e devotissimis summi philosophi laudatoribus, scilicet praeclarus et venerandus Boeckhius, qui inde praecipuam causam repetere non dubitat, cur, de tot scientiis vicissim commentatus, Leibnitius de plerisque nulla fere, nisi praeclare quidem inchoata, sed adumbrata tantum fragmenta reliquerit (cf. Bœckh's *Kleinere Schriften*, III, 6).

congrueret, nec potissimum respiciebat, utrum nova omnino et ex proprio sensu deprompta tunc primum affirmaret, an ab aliis jamdiu dicta et repente inscio in memoriam revocata tantum repeteret; quae enim vel in universum notatu digna, vel ad rem, de qua agebat, idonea reputaret argumenta, ea, undecumque orta essent immemor aut parum anxius, opportune et dilucide in medio posuisse satis habebat.

Falsas igitur sibi opiniones finxerunt, vel potius, si libere dixisse fas est, fucum aliis facere non dubitaverunt, qui eum ita depingere studuerunt, quasi se totum in etymologica scientia collocavisset nec quidquam aliud fere curavisset, nisi ut ejus praecepta assidue inquireret ac dignosceret et tandem etymologicarum legum velut corpus quoddam revelaret ac promulgaret (1).

Immo hoc tantum verum est eum nec rectius de etymologica in universum sensisse, nec prudentius ad etymologias scrutandas accessisse, quam illa aetate dudum mos esset, nec quidquam praecipue de etymologicae artis dignitate et fine et ratione enuntiavisse, quod non jam apud plerosque ejus aetatis eruditos viros, ac praecipue apud Morhofium, reperias.

Atque imprimis solita hic rursus deprehenditur Leibnitianae opinionis mobilitas. Nunc enim, optimo quidem jure, in *Brevi Designatione* profitetur « linguarum studium nullis aliis, quam exactarum scientiarum, principiis esse exercendum » (2), nunc, ad Ludolfum scribens, haec prorsus contraria pronuntiat : « Etymolo-

(1) Quam immodice ejus laudatores vel admodum tritam quamque sententiam, si modo apud eum occurreret, in rarum atque omnino novum praeceptum quoddam, ab ipso tunc primum excogitatum et patefactum, convertere studuerint, uno tantum exemplo demonstrare liceat. In quadam ad Acoluthum missa epistola Leibnitius forte scripserat : « Scis enim quam proclive sit quidvis ex quavis lingua exsculpere » [*Dut.*, VI, pars 2, pag. 138]. Hinc statim persuasio est facta famaque dissipata eum primum in insitum errorem esse coortum, quo saepius diversissimae linguae ad etymologias enodandas in auxilium vocarentur; Leibnitio tamen nihil aliud certe in mentem venerat, nisi ut, occasione data, sententiam quamdam cursim significaret, de qua plerosque eruditos consentire non immerito quidem existimabat; nam de ea, inter ceteros, Morhofium multis verbis disseruisse infra videbimus.

(2) Cf. M. Müller, *Science du Langage*, p. 161.

gica res conjecturis, non demonstrationibus agitur; et credo veras interdum esse origines, quae minime sunt verisimiles. Casus enim in linguarum mutationibus magis quam consilium dominatur. Itaque vix unquam probabis derivationem verissimam, si ad vivum reseces » (1). Nec minus aperte indicat qua ratione in instituendis etymologiarum investigationibus utatur, cum dicit : « Haec comparare non injucundum, et velut venari occultantem se veritatem ; sed certi aliquid eligere, difficile » (2).

Hanc igitur artem ab eo constat pro amœna et urbana oblectatione esse habitam, ac quasi ludo quodam in quo, ut optime dicit M. Muellerus (3), ingenii sales et argutias ostentandi occasio cuique daretur ; nullo autem pacto eam unquam veram et justam scientiam putavit (4). Quod quidem ipsa insuper manifesto testatur ad etymologias tentandas accedentis ratio.

Tres praecipuas sermonum species peculiariter tractavit Leibnitius : celticas dialectos, francogallicam linguam et germanicam.

Ad inquirendas dialectos celticas eum sollicitaverat Daviesii *Lexicon Cambro-Britannicum* a Boxhornio excerptum et recens publici juris factum, quo duce suum *Glossarii Celtici Specimen* conscripsit (5). Qua autem ratione et quo animo laborem suscipiendum existimaverit, haec ad Ludolfum scripta haud ambigue significant : « Consideravi non ita pridem linguae Cambricae vel Wallicae Lexicon, quod recudi curavit Boxhornius, et video multa esse Germanicis nostris consentientia » (6). Sed, quid sibi proposuerit, multo lucidius iterum ex hoc ipsius *Speciminis* loco patet : « Caeterum ex his, quae dedi, apparebit, opinor, linguam veterum Gallorum et

---

(1) *Dut* , VI,pars 2, p. 160.

(2) *Ibid.*, VI, pars 2, p. 167.

(3) *Nouvelles Leçons*, I, 307.

(4) Eum de ista disciplina nonnumquam jocose tantum et velut per ludibrium egisse potissimum demonstrat initum cum Meiero et Ludolfo de origine verborum *Bærenhæuter et Hahnreh* certamen ; ex quo facile intelligitur ab eo saepius rei etymologicae nullum nisi per otium et quasi oblectamenti causa subsecivum tempus fuisse tributum (cf. *Dut.*, VI,154-164 ; VI, pars 2, 161, 180).

(5) Cf. *Collectanea etymologica*, II, 81-154 = *Dut.*, VI, pars 2, p. 96-129.

(6) *Dut.*, VI, 100.

Britannorum fuisse semi-germanicam... » (1). Omnes igitur ab eo institutas comparationes ad id tendere constat, ut celticam linguam e germanica prognatam evincat et quamplurimas celticas voces ad germanicam originem referat (2).

Nec se profecto nimis difficilem in conferendis inter se quamvis dissimilibus verbis praebuisse videri debet, cum ad plerasque comparationes instituendas non modo integrorum vocabulorum, sed etiam singularum cujusque vocabuli partium similitudinem satis aptam existimaverit, ac, si quid ad communem originem probandam defuerit, confestim in auxilium vocaverit hinc multiformium praefixorum adjunctionem, illinc vocalium et consonantium tunc accessionem aut detractionem, tunc permutationem aut substitutionem, modo analogiam et allusionem, modo antithesim et e contrario natam significationem (3); quid multa? in expedito est tota falsorum, more et usu traditorum, argumentorum copia; nam, ut ipse solennibus verbis animadvertit, « tales transitus frequentes sunt in etymologiis, modo non fiant per saltum » (4).

Mutata autem lingua, vix mutatur inquirendi ratio et eodem fere consilio ad investigandam francogallicam accedit Leibnitius, quo jam scrutandas celticas dialectos aggressus erat. Quemadmodum enim celticum Daviesii *Lexicon* eo animo evolvendum susceperat, ut germanici sermonis jura quam certissime confirmaret, ita francogallicam linguam aggreditur et Ottii *Franco-Galliam* suis adnotationibus eo tantum consilio ditare molitur, ut post Hungerum ipsumque Ottium falsas francogallorum rei etymologicae studiosorum virorum opiniones retundat et Nicotii, Casenavii, prae ceteris autem Menagii, errores detegat (5), qui proniori studio plerasque suae linguae voces ex aliis romanicis linguis aut graeco latinoque ser-

(1) *Coll. etym.*, II, 147 = *Dut.*, VI, pars 2, pag. 126.

(2) Fatendum est quidem Leibnitium in ea re eodem tantum laborare vitio, quo omnes qui illa aetate in Germania etymologicae operam darent, cum nullum invenias, ne Morhofium quidem, qui celticas linguas a germanicis distincte separaverit.

(3) De quoque istorum errorum genere varia mox afferenda sunt exempla.

(4) *Dut.*, VI, pars 2, p. 64.

(5) *Ibid.*, V, 64.

mone ducere conarentur et plus aequo ignorarent vel oblivisceren-tur, quanti quondam momenti germanica lingua ad informandam et augendam francogallicam fuisset (1).

Hoc igitur sibi proponit, ut eam exemplo confirmet sententiam, quam saepius certe, nusquam autem tam definitis verbis quam in hoc libelli *Unvorgreifliche Gedanken* inscripti loco expressit: « Es ist handgreiflich und gestanden, dass die Frantzosen, Welschen und Spanier (der Englænder, so halb Teutsch, zu geschweigen) sehr viel Worte von den Teutschen haben, und also den Ursprung ihrer Sprachen guten Theils bey uns suchen müssen. Giebt also die Untersuchung der Teutschen Sprache nicht nur ein Licht vor uns, sondern auch vor gantz Europa, welches unserer Sprache zu nicht geringem Lob gereicht » (2).

Multum abest sane ut Leibnitius insulsam tot aequalium, ac praecipue Westhovii et Gerhardi, opinionem amplectatur et francogallicam linguam ab initio totam germanicam fuisse contendat. Immo quidquid latinae matri erat tribuendum, id haud cunctanter agnoscit, ac libenter fatetur francogallicae et germanicae, per multorum saeculorum decursum, haec fuisse fata, ut utraque ex vicina saepius mutua vice nonnulla reciperet; non potest tamen quin, in hoc quasi reciproco vocabulorum commercio, germanicae potiores partes concedat ac plures justo francogallicas voces e germanico fonte hauriat, sicut *barrière* e *barre* (3), *dague* e *degen* (4), *fin* e *fein* (5), *flacon* e *flasche* (6), *heurter* ex *hurtig* (7), *luth* e *laute* (8), *perle* e *beerle* (9) aliaque ejusdem generis innumera; nec semel occurrit, ut praejudicata

---

(1) Non infitias profecto eundum hoc vitio nostrates illa aetate haud semel peccavisse ac merito a Leibnitio et Morhofio (cf. *Unt.*, 57-58) Menagium de eo reprehensum esse.

(2) *Unvorgreifliche Gedanken*, § 42.

(3) *Dut.*, VI, pars 2, p. 53. cf. ibidem *barlue (berlue)* = *barra (lucis) (?)*

(4) *Ibid.*, — — 56.

(5) *Ibid.*, — — 59.

(6) *Ibid.*, — — 59.

(7) *Ibid.*, — — 61.

(8) *Ibid.*, — — 62.

(9) *Ibid.*, — — 63.

opinione ductus optimam quamque a Menagio diligenter enodatam etymologiam rursus in dubium vocet aut praecise respuat, et, ut hoc tantum afferamus exemplum, francogallicam vocem *feu* minime, quod tamen Menagius manifestum omnino fecerat, e latina *focus*, sed e germanica *feuer* derivandam arte teneat (1).

Illud quidem negari non debet, eum, tum majori, quam hoc temporis mos esset, temperamento adhibito, tum juvante quadam conjiciendi felicitate, nonnullas novas, plures hucusque dubias aut parum cognitas etymologias aut primum proposuisse, aut diligentius in apricum protulisse ; haud absre tamen fuerit animadvertisse, ipsius opera et studio etymologicam doctrinam non tam multis, quam ejus laudatoribus visum sit, certis et ineditis etymologiis esse ditatam. Recensenti enim ex ordine integras ejus *Observationes ad Franco-Galliam,* vix 40, e 226 ibi tractatis vocibus, notare datum est, quas ad veram originem quoquo saltem modo revocatas dicere queas.

Adde quod non semel vocabula ab eo ad unum conferuntur, quae recentiores linguarum periti viri sane cognata quoque agnoverunt, sed longe alia ratione et via, atque Leibnitio visum fuerat ; adde quod plura non nisi ex omnibus tunc vigentibus etymologiarum auctoribus deprompta attulit, inter quos Henischius, Claubergius, Harsdœrfferus, Praschius, Stielerus aliique multi, at prae ceteris Morhofius, sunt nominandi. Multas enim, et eas plerumque certissimas, ab eo propositas etymologias, de quibus ipsis maxima ei laus contigit, ex Morhofii opere hausisse videtur ; quod forsitan insequens quarumdam enumeratio abunde docuerit ; nam quemadmodum Morhofius, ita Leibnitius haec vocabula assimulat : *alesne* = *aal (Ahle)* (2) ; *disch (tisch)* = *discus* (3); *écrevisse* = *krebs* (4) ; *epervier* = *sperbeeri* (5) ; *esquif* = *schiff* (6).

---

(1) *Dut.*, VI, pars 2, p. 58. — Quae falsa opinio jamdudum apud Morhofium occurrerat (cf. *Unterricht*, 107).

(2) Cf. *Dut.*, VI, pars 2, p. 52 = *Unterricht*, 107.

(3) — *Ibid.*, — — 56 = *Ibid.*, 93.

(4) — *Ibid.*, — — 57 = *Ibid.*, 107.

(5) — *Ibid.*, — — 57 = *Ibid.*, 107.

(6) — *Ibid.*, — — 57 = *Ibid.*, 107.

In germanicas potissimum etymologias omni cogitatione et peculiari cura incubuisse Leibnitium haud aegre forsitan ille crediderit, qui tantas de optimo et studiosissimo, qui unquam exstiterit, restituendae et promovendae linguae germanicae fautore cumulatas laudes respexerit. Quod longe secus est: namque, si brevem quemdam vocabulorum indicem excipias, quem, sub titulo: *Ad Glossarii Chaucici Specimen Notae* (1), quasi forte in sua *Collectanea Etymologica* conjecit (in quo non est negandum eum sese dialectorum germanicarum inferiorum peritissimum, superiorum satis gnarum praebuisse), sparsa tantum ab eo, nec ullo pacto continua aut cohaerentia quaedam de germanicarum vocum etymologiis tentata esse constat.

De multarum certe germanicarum vocum origine hic illic vel in suis epistolis vel in variis operibus ex improviso agit: sed plerumque vetustas obsoletasque aut dubias et obscuras quasdam, quasi rei raritate notabiles, affert, ac de eis insuper summa quidem ingenii subtilitate, sed simul assueta libidine disserit.

Namque imprimis assumptam et adventiciam vocabulorum similitudinem, haud aliter ac plerique illius aetatis eruditi viri, fere unicam affirmandae cujusque etymologiae rationem et normam sibi statuit, nec quidquam constantes permutandorum sonorum leges curat, quas ne suspicari quidem videtur. Sic pari jure *kopf* et *haupt* cum *Caput* et κεφαλή (2) conferre non dubitat, pariterque *huis* cum *haus* (3), *agraffe* cum *griff* (4), *attaquer* cum *to take* (5), *attraper* cum *treppe* (6), *balais* cum *besen* necnon cum *fasciculus* (7), *burlesque* et *berner* cum *brellen* et *prellen* (8), *entamer* cum ἐνταμεῖν (9), aliaque innumera.

(1) *Dut.*, VI, pars 2, p. 67-78.
(2) Aliaque multa in *c* vel *k* ineuntia; cf. *Dut.*, VI, pars 2, p. 167.
(3) *Dut.*, VI, pars 2, p. 61 et 189
(4) — — — 52.
(5) — — — 52.
(6) — — — 53.
(7) — — — 53.
(8) — — — 53 et 55.
(9) — — — 57.

Eo enim judice omnes litteras in quaslibet alias promiscue et quasi ad nutum transeuntes sibi fingere licet : sic, ut quaedam afferamus exempla, *titillare* = *kitzeln*, « transeunte *t* in *q* vel *k*, quod saepe fit » (1) ; pariter *plonger* = *plumpen* (2); *vassal* = *gesell* (3); *schnabel* = *nase* (4), *pan, ban, wan* vicissim ad enodandam vocabuli *pantoufle* etymologiam adhibentur (5) ; *cabaret* = *taberna* = *cabane* (6).

Nec deest, ubi opportuna aut commoda tantum visa fuerit, conjectura litteras quasdam vel cecidisse vel accessisse; ista enim ratione multa quoque facile enucleare datur, sic : *crapaud* = *krœte* = *raupe,* « omisso *k* vel *c* » (7) ; *aller* = *wallen* = *gallen*, nam « *g*, *w* saepe omittuntur » (8); *hanse* = *eins*, nam « facile *h* praeponitur aut omittitur » (9); celt. *andat* = germ. *winden, überwinden*, nam « *w* nunc omitti nunc praeponi solet » (10).

Simili modo, si necesse fuerit, contractionem in testimonium vocare fas est ; sic : *froc* = *überrock* (11). Leibnitius enim longe abest ut suspicetur verbum *froc* nihil aliud esse nisi ahd. vocabulum *hrock* [lat *hrocus*].

De collatorum inter se vocabulorum significatione non multo difficilius agitur ; ubi enim minus absoluta apparet sensus concordia, protinus adsunt hinc e similibus vel e contrariis petitae significationes, illinc, metaphora aut allegoria ceteraque troporum genera ; sic : « *blanc* = *bleu, blut*, *blitz*, *blik*.... Hinc, cum nimia luce visus obtunditur, fit *blenden* et *blind*, caecus » (12); haud aliter : *affe* = *aber*,

---

(1) *Dut.*, VI, pars 2, p. 64.
(2) — — 64.
(3) — — 66.
(4) — — 178.
(5) — — 168.
(6) — — 55.
(7) — — 56.
(8) — — 52 et 59.
(9) — — 61.
(10) — — 100.
(11) — — 59.
(12) — — 53.

« ab iteratione » (1); *crottes* = was man *abkrazet* (2); *eschapper* = *schüppe*, instrumentum quod amovit, *schuppe* (squamma), quod amovibile est (3); *auge*, *oculus*, ὄμμα, *au, œ*, *aue*, insula, aliquid scilicet rotundum et conclusum » (4). Leibnitium autem una eademque inquirendi ratione semper et ubique fuisse usum innumera docent vel in iis tractatibus occurrentia, quos in ultimis vitae suae annis composuit; unum hic tantum e libello inscripto *Nouveaux Essais* depromptum commemorare sat erit : « *legen* (mettre doucement), d'où vient *liegen* (coucher), ... *lego*, *ich lese*, je ramasse ce qu'on a mis (c'est le contraire du mettre) » (5).

At nulla Leibnitius majori studio argumenta emittere molitur, quam quae ipsi ex analogismo petenda videntur; in quo quidem definiendo non est quod diu ac multum haereamus, cum plane satis fuerit haec ipsius auctoris ad Ludolfum scribentis verba afferre : « Equidem arbitror et ego, literarum in vocibus vim quandam naturalem apud homines, impetu quodam nomina magis quam consilio dantes, saepe valuisse » (6). Quod quidem praeceptum ab eo semper et ubique pro universa lege et norma esse habitum, tota plane demonstrat ratio, qua in libello inscripto *Nouveaux Essais* (7) de nominum impositione disceptationem instituit et praecipuis vocabuli cujusque litteris insitam quamdam significationem vindicat; atque tunc potissimum cernere datum quantum in explicandas étymologias quaslibet auxilium inde sumere queas. Ubi enim, ut quaedam afferantur exempla, pro pacto habueris « H significare elevationem, quae ipsi pronuntiationi inest » (8), nihil omnino jam obstat quin insequentia vocabula artissimo inter se nexu conjuncta censeas : « *hoch*, *heben, heaven*, *hevet*, *haupt, caput*, *gaha* (hebr.), *habar* (hebr.), *Har* (Mons), ὄρος, *gora* (russ.) (9). » Pari ratione, si « K, naturali

---

(1) *Dut.*, VI, pars 2, p. 97.
(2) — — 56.
(3) — — 57.
(4) — — 69.
(5) *Nouveaux Essais*, éd. Janet, I, 271.
(6) *Dut.*, VI, pars 2, p. 179.
(7) Éd. Janet, I, 270-274.
(8) *Dut.*, VI, pars 2, p. 167.
(9) — — id.

quodam valore ex pronuntiatione ducto..... significat obstaculum, adhaesionem », quasi sponte profluunt hujusmodi comparationes : « *uncus*, *haken*, *zacken*, ζάγκλη, *Zinke*, *Sicca*, *Sichel*, *camp*, κάμπτω; *cyclos*, *scapha*, *scyphus; curvus*, *krumm ; gyrus*, *querquern*, *querl; cubitus;* ἄγκων (unde Urbs Ancona), *angulus*, *eng*, *Angli; arcus*, *arctus;* κοῖλος, *caelare*, *celare*, *occultus*, κρύπτω; *caph* (hebr.), curvaturae, *caphagh* (heb.), curvare, *cavus*, *cappa*, *capere*, *capulus*, *caput*, *kopf*, *haupt*, κεφαλή, *cofinus*, *cofre*, *cupa*, κακός (τρία κάππα κάκιστα) (1) ».

Ex duobus exemplis, ut videtur, satis superque liquet quanti momenti et adjumenti analogismus in scrutandis etymologiis esse possit.

Adde quod comparanda vocabula saepius de diversissimis atque invicem longissime alienis linguis arripit; nam, ut eas tantum enumeremus quas potissimum in testimonium vocat, ex sinensi (2), hungarica (3), tartarica (4), chaldaea (5), prae ceteris autem ex hebraea (6) vicissim argumenta petit: nec eo secius in libello *Nouveaux Essais* cum summa testificatione sollennia haec praefatur: « Mais il faut joindre des langues de plusieurs peuples, et ne point faire trop de sauts d'une nation à une autre fort éloignée sans en avoir de bonnes vérifications, où il sert surtout d'avoir les peuples entre eux pour garans » (7).

Si quis igitur varia quae supra exposuimus, quanquam ea, quod valde dolemus, obiter tantum et summatim attingere licuit, aequo animo perpenderit ac multiformem necnon in singulis omnino inaequalem a Leibnitio rei etymologicae impensam operam sine ira et studio respexerit, non poterit fortasse quin fateatur vix temperato sensu usum esse Benfeium, cum his aliquantum laudatoriis

(1) *Dut.*, VI, pars 2, p. 167.
(2) *Dut.*, VI, pars 1, p. 106.
(3) *Dut.*, VI, pars 2, p. 99, 110.
(4) — — 110.
(5) — — 99.
(6) — — 90, 92, 100, 107, 109, 110, 167, etc... — Cf. *Nouv. Essais*, éd. Janet, I, 273.
(7) *Nouveaux Essais*. éd. Janet, I, 274.

verbis auctoris merita in rem etymologicam extolleret et quasi colligeret ac summaret : « Schon an und für sich war es von ausserordentlichem Gewicht, dass sich ein Mann von dieser grossen und allgemein anerkannten Bedeutung mit Etymologie so *eindringend* und *ernsthaft* beschæftigte » (1).

Potuit profecto Leibnitius etymologicae, vel late diffusae famae auctoritate, vel undique conjunctarum amicitiarum beneficio, hinc multos adsciscere fautores, illinc innumera suppeditare nova documenta; potuit etiam efficere ut inquirendarum etymologiarum fugitivus quidam mos et inconstans studium apud cultiores elegantioresque homines iterum surgeret et ad breve tempus vigeret: ipsi autem etymologicae disciplinae ejus exemplum et labor nullum certe decus attulit, nec etymologicam doctrinam ullo definito aut vere novo praecepto ditavit. Etymologicam *artem*, ut tunc aiebant, usque subtilis et ingeniosi amatoris, nonnunquam quaestuosi et in proximum lucrum intenti indagatoris more, *scientiam*, nunquam prudenti et sedato eruditi, res ac principia gratis et composite scrutantis, viri animo colendam suscepit.

(1) *Geschichte der Sprachwissenschaft*, 245

CAPUT II.

QUID ETYMOLOGICAE DOCTRINAE IN MELIUS CONVERTENDAE CONTULERIT MORHOFIUS.

Non minori profecto, quam Leibnitius, ardore incensus, sed sedatiori animo usus, rem etymologicam longe alia ratione ac multo magis continuo et constanti labore tractandam Morhofius aggressus est.

Hunc enim minime fugax quidam, quasi ex occasione natus et saepius interquiescens impetus ad etymologicam induxit; sed in eam, quam gravem inter omnes philologiae partes jampridem habuerat, multos per annos indefesso et composito studio incubuit, quo quodque disciplinarum genus, ad philologiam quoquo modo pertinentium, a primis initiis amplecti solebat.

Quae igitur de etymologica in *Institutione* profert nequaquam velut subito ac divinitus dictata disserenti succurrunt, affirmanda raptim, nec minus velociter obliviscenda et negligenda. Sed viginti super annos diligenter et assidue ea meditata lente prius et, ut ita dicam, pedetentim in ordinem congessit et pluries, dum in Universitate docebat, academicarum praelectionum quasi trutina pensavit et probavit.

Neque temere aut fortuito, quae diu ac penitus consideraverat, in ipso operis procemio, quod extollendis linguae germanicae meritis continetur, tunc primum uno tenore exposuit.

Cum enim, haud secus ac Leibnitius postea, jamdiu plane conscius esset, quantum etymologica ad quaslibet philologicas disciplinas, praecipue autem ad historicam pertineat (1), eum minime

---

(1) Multo enim ante Leibnitium Morhofius etiam atque etiam monuerat, quantum auxilii priscae gentium historiae et veterum populorum descriptioni, si quis

fugiebat quot et quanta argumenta, ad dicendam germanicae linguae causam mire accommodata, inde mox essent elicienda.

At acute simul perspiciebat quam temerario consilio is uteretur, qui tam incertae et tanta infirmitate laborantis artis subsidium derepente invocare aut testimonium mediis in disputationibus praepropere denuntiare voluisset, et optimo jure, ut certiora argumenta inde peti possent, id prae ceteris efficiendum existimavit, ut ejus doctrinam et leges prius non ex abstrusiori quadam argumentatione aut praejudicata et temeraria ratiocinatione, sed ex ipsa linguarum observatione et integra incorruptaque rerum experientia colligeret ac firmiter constitueret.

Jam de ipso etymologicae fine ita diserte disserit, ut nullam fere potiorem hujus disciplinae definitionem recentiores excogitaverint, quid enim sibi ad summum proponere et qua duplici via tendere ea debeat, his lucidissimis verbis ostendit : « Sie kann aber auff zweierley Art betrachtet werden, erstlich, wenn man der Stammwœrter Ursprung selbst untersuchet, und auch aus anderen Sprachen herbeyholet. Zum andern, wenn man die Eygenschafft jeglicher Wœrter in Betrachtung ziehet und ihre Bedeutungen nach den neun Haupttheilungen der Rede und deren Abtheilung und Verwandtschafft erœrtert » (1).

Non aliter de ea sentiunt et plane simili modo duplicem ejus finem describunt etiamnunc peritissimi linguarum viri, e quibus Bœckhium (2) et M. Muellerum (3) citavisse sat erit.

Illas autem binas inquirendi rationes, quamvis arto nexu inter se nonnunquam conjunctas, nusquam tamen promiscue adhibendas

---

perscrutaretur regionum, urbium, fluviorum, montium, populorum, principum nomina, etymologice praestare posset (Cf. *Unterricht*, 29, 33-34, 40, 49, 64-65, 84, 100, 492-493). Quo quidem neglecto, Pezzius solito more Leibnitii laudes hic quoque prosequitur nec dicere dubitat : « L'importance historique de la linguistique se révéla à son vaste et profond esprit ; il vit que rien ne peut remplacer les langues pour démontrer les origines et révéler la parenté des peuples. » *Introduction à l'étude de la science du langage*, p. 48-49).

(1) *Unterricht*, 490.

(2) Cf. A. Bœckh, *Encyclopædie und Methodologie der philologischen Wissenschaften*, p. 745 sqq.

(3) Cf. M. Müller, *Nouvelles leçons sur la science du langage*, I, 301-308.

esse monet, in eo potissimum haerens quanti sit momenti, ut in qualibet vocum collatione tentanda hinc quae formae similitudine aut conversione nitantur, illinc quae ex sensus affinitate desumantur, argumenta, nulla admissa confusione, separatim semper respiciantur.

Novum prorsus illo tempore praeceptum, nec parva profecto tunc usitati moris mutatio, si respicias quam incaute et turbide plerique illius aetatis docti viri diversissima cujusque linguae vocabula comparare soliti essent, nunc admissa ultro multorum verborum cognatione, quae vix unam vel alteram litteram communem haberent, sed quadam significationis proportione conjuncta viderentur, nunc revocatis ad unam eamdemque originem vocibus, quae primo quidem adspectu quamdam inter se similitudinem extrinsecus exhiberent, sed, longe dispari significatione praeditae, nonnisi absurda quaque sensus translatione, ac praecipue allusionis aut contradictionis aut ceterorum affatim usurpatorum troporum ope possent aequiparari.

Quantum autem damnum istiusmodi nugae rei etymologicae afferant, quantumque ejus dignitatem et famam inquinent, ipse Morhofius non potest quin agnoscat ac simul ingemiscens fateatur eam, amissa omni fide et auctoritate, a plerisque merito nimis derideri : « Wundert mich nur das gelehrte Leute nicht ehe auf diese Gedancken, gerathen, und so viel seltsame thœrichte *allusiones* an statt gründlicher Etymologien angenommen, deren nichtigkeit sich selbst zu Tage leget, und Anlass gegeben, dass viel gelehrte Leute alle Etymologias, als ein ungewisses Ding, und die auf keinen Vernunfftschlüssen gegründet zu verwerffen (1). »

Sed dum in istos etymologicae disciplinae corruptores aspere, nec injuria quidem, invehitur, non fugit eum nonnulla jam antea rectius a quibusdam severiore doctrina imbutis viris esse tentata, quaedam interdum probe inchoata et elaborata. Ea igitur, etsi nonnunquam falsa inquirendi ratione deformata ac vitiata, sedulo commemoranda atque indulgenter percensenda putat, cum hinc diligenter et bona fide, quamquam saepe feliciter minus enixos superioris aetatis viros debita laude ornare deceat, illinc ab eis, vetera litterarum monu-

(1) *Unt.*, 68-69 ; cf. etiam 56 57, 127 sqq.

menta assidue scrutatis, innumera documenta sint congesta, quae rectius demum tractata, meliore doctrina instructum juvare nec parvi momenti ad promovendam rem etymologicam esse possint. Quin etiam, qua isti peccaverint palam facere, minime supervacaneum habet, cum ex ipso errorum, quibus laboraverint, exemplo, qua recta via sit incedendum, manifestius demonstretur.

Sic Francisci Junii *Glossarium Gothicum* omni laude cumulat eumque tantummodo de eo reprehendit, quod germanicae linguae jura contra graecam et latinam non satis fortiter vindicaverit, seseque proniorem praebuerit ad germanicas voces ex graeco vel latino fonte derivandas nec germanicarum radicum primitivam naturam et indolem pro earum merito in lucem protulerit (1). Item Henischii *Thesaurum Linguae et Sapientiae Germanicae* vel truncum a defuncto auctore relictum, verbis extollit, raramque ab eo congestorum et distincto ordine dispositorum documentorum copiam libenter praedicat nec quidquam in eo desiderare se fatetur, nisi quod veteres germanicas voces parcius aequo receperit (2). Nec minus benigne de Kiliani *Etymologico Teutonicae Linguae*, quod « multoties recusum, atque a Lipsio, aliisque viris eruditis magni aestimatum » esse memorat, indignabundus autem queritatur « sub titulo *Kiliani Aucti* misere truncatum esse (3). Schottelii quoque *Opus de Lingua germanica* debita reverentia et eximia benevolentia perpendit, hac tantum plane sagaci correctione usus, ut de ejus verborum origines inquirentis ratione omnino meritam improbationem significaret (4)).

Skinnerum contra, cujus *Etymologicon linguae anglicanae* gratulabundus memorat, inter praecipuos ponit, qui de etymologica rectiora quaedam tandem exposuerint; quippe qui summa cura multas britannicas dialectos inter se comparaverit et rara sedulitate litterarum mutationes observaverit ac certis quibusdam legibus adstringere conatus sit, in eo tantum errore versatus, Morhofio sal-

(1) *Unt.*, 59, 66, 502 et passim.

(2) *Ibid.*, 502-503; cf. *Polyhistor*, T. I, Lib. I, cap. 21, § 110 et Lib. 4, cap. 4, § 8.

(3) *Ibid.*, 84, 501; cf. *Polyhistor*, T. I, Lib. 4, § 8.

(4) *Ibid.*, 427, 457, 478, 498; cf. *Polyhistor*, T. I, Lib 4, cap. 4, § 7.

tem judice, ut celticis dialectis germanicam originem adscribere noluerit (1). Eadem eximia in notandis vocabulorum conversionibus litterarumque mutationibus adhibita diligentia commendari Morhofius existimat paulo ante editum Vorstii *Specimen observationum in linguam vernaculam*, cui cum se multum debere profiteatur, nonnullis suae *Institutionis* locis plura ex eo excerpit non contemnenda, atque hoc potissimum in ejus laude ponit, quod eas statim cujusque ad originem revocandi vocabuli formas prae ceteris attento semper animo respexerit, quas vetera germanico sermone conscripta documenta exhiberent, quo prudenti praecepto ductus multas obscuriores germanicas voces luculenter explicuerit et ex ipso genuino germanicae linguae fonte haud ambigue deduxerit neque eas, ut perperam fieri soleat, ex quaque peregrina lingua primum elicere conatus sit (2).

Quo quidem vitio plerosque francogallicos lexicorum auctores et etymologiarum indagatores gravius laborare Morhofius, non sine aliquo jure, ut jam supra diximus, vehementer queritur veteramque rixam cum eis rursus committit, quam jamdiu, ab Hungero (3) primum excitatam et ab Ottio (4) continuatam, Leibnitius quoque postea, ipso Ottio duce, redintegravit.

Quamquam enim de eis ad summam rectum et benignum judicium facit eosque, praecipue autem Menagium, optime de sua lingua meritos profitetur, eis tamen, perinde ac Leibnitius paulo post, ignoscere nequit, quod, germanicae linguae inscitia, innumeras francogallicas et italicas voces ex graeco latinoque, vel ex omni remotiore sermone potius arcessere pervicaces enitantur, quarum originem verius e proximo germanico ducere potuerint ac debuerint (5). Igitur, quo majore laude Menagium extollit, quem « egregium Philologum et Criticum » (6), necnon « Virum dudum orbi

(1) *Unt.*, 30, 34, 39, 58-60, 73, 77-78, 94, 105 et *Polyhistor*, T. I, Lib. I, cap. 3, § 9.

(2) *Ibid.*, 492-494 et passim.

(3) Cf. *Unt.*, 27, 58.

(4) Cf. *Ibid.*, 58.

(5) *Unt.*, 57-58, 60, 108.

(6) *Ibid.*, 58.

erudito e scriptis variis notissimum, dudumque immortalitatis famam adeptum » (1) praedicat, quin etiam inter paucos ponit, qui nonnulla composuerint carmina, « an welchen der scharffsichtigste nichts zu tadeln finden solte » (2), eo gravius eum increpat, quod, « ob imperitiam linguae germanicae », in etymologiis suis haud raro lapsus sit et minus certa plerumque, quam de tanto ingenio esset exspectandum, proferre valuerit.

Inter omnes autem, qui de re etymologica hucusque disseruerant (3), vix quemquam invenias, quem Morhofius pluris fecerit, quam eruditissimum et subtilissimum virum Claubergium, de quo fortasse non abs re erit, ut hic paulo fusius agatur. Hic enim, in studiis ad philosophiam pertinentibus potissimum nobilis, nec immerito insignioribus Cartesii discipulis fidelioribusque Cartesianae Philosophiae explicatoribus adscriptus (4), egregie insuper de universa linguarum scientia, ac peculiariter de etymologica doctrina meritus esse reputandus est, utpote qui primus certiora et firmiora

(1) *Polyhistor*, T. I, Lib. 4, cap. 4, § 12.

(2) *Unt.*, 176. — Quibus Morhofii laudibus valde esse delectatus videtur Menagius, cum parem ei gratiam quamprimum retulerit, ut ex hoc libelli *Anti-Baillet* inscripti loco apparet : « Qu'il [Baillet] écrive contre Daniel George Morhof, *le premier poète de l'Allemagne*, qui, dans son Traité allemand de la langue et de la littérature allemandes a fait mention de moi entre les premiers poètes français de notre temps » (*Anti-Baillet* dans Baillet, *Jugemens des savans*, Paris, 1722-1730, 8 vol. in-4°, T. VIII, p. 258). Cui vice sua, non minus comiter respondit Morhofius in *Polyhistore*, admissis tamen proclivius fortasse Christinae Reginae in eum jocis (cf. *Polyhistor*, T. I, Lib. 4, cap. 4, § 12, 13).

(3) Non nostrum erat hoc loco universa Morhofii judicia de quoque ad etymologiam spectante libro ex ordine enumerare, immo licuit praecipuos tantum auctores obiter memorare, quos insigni aliquo benevolentiae testimonio dignatus est. Quanta autem sedulitate cuncta huc facientia percensuerit, optime demonstrant variae ab eo vel in *Institutione*, vel in *Polyhistore* initae recensiones omnium in quaque aetate de etymologia editorum operum; de quibus cf. *Unt.*, 57-60, 308, 322, 412, 454-458, 494-499, 501 et passim, atque in *Polyhistoris* Tomo I totum quartum capitulum Libri IV.

(4) Cf. Damiron, *Essai sur l'histoire de la philosophie en France au XVIIe siècle* (Paris, Hachette, 1846, 2 vol. in-8°), II, 126-154 ; Erdmann, *Grundriss der Geschichte der Philosophie*, II, § 268, 4 et Zeller, *Geschichte der deutschen Philosophie seit Leibniz* (München, 1873, in-8°), p. 76.

quaedam praecepta inquirendis etymologiis tractandisque philosophicis de eloquio quaestionibus adhibuerit.

Namque inter multas, quas de etymologia solerter plerumque describit, « Regulas », hanc primam ac potissimam ponit, a Morhofio, ut par erat, propenso animo exceptam et in *Institutione* magnifice laudatam et latius explicatam, ut « Germanica vocabula prius et potius e Germanicis, quam e peregrinis derivanda » essent (1). Quam ut rectam, ita omnino novam inquirendi rationem, ab Henischio jam pro parte fortasse, sed instinctu magis quam ex proposito, adhibitam, Morhofius non poterat, quin toto animo amplecteretur: non potest igitur defatigari praedicando quanta animi acie quamque subtili ingenio praeditus fuerit auctor aut quanti momenti sit ad erigendam linguarum doctrinam ejus *Ars Etymologica* (2), de qua haec in *Polyhistore* dicit: « Exiguus ille liber est, et breves tantummodo 22 regulas complectens...; ast vero tam doctus ille, tamque in crisi, quam adhibet, ἀκριβής, ut cum Scaligeri, Vossii, Sanctiive circa latinam linguam laboribus componi posse alibi haud immerito a nobis assertum sit » (3). Neque ejus merita meliori argumento in lucem proferri posse existimavit, quam si has XXII regulas in *Institutione* de integro excerptas daret (4): providenter quidem et opportune omnino; nam Claubergii opusculum, anno 1663 Duisburgi editum (5), perrarum jam anno 1682 erat factum;

---

(1) *Unt.*, 494.

(2) Toti quidem Claubergii doctrinae Morhofius non sine multa exceptione assentitur et pluribus *Institutionis* (cf. praesertim 457 et 475) locis de nonnullis, quae sibi minus placere profitetur, argutissime disputat, ut mox apparebit.

(3) *Polyhistor*, T. I, Lib. 4, cap. 4, § 6.

(4) *Unt.*, 494-497.

(5) *Johannis Claubergii Ars Etymologica Teutonum e Philosophiae fontibus derivata..... Deutsch von Deutschem.* — Duisburgi ad Rhenum, 1663, in-8°. — Notum est hoc opusculum a Leibnitio suis *Collectaneis etymologicis* insertum et ibidem totum typis denuo exscriptum esse. At, praeter Morhofium, unus Eccardus « aureas has regulas » in sua *Historia studii etymologici* recudendas curavit (p. 225-230) et excerpta tantum quaedam, summa quidem laude ornata, dederunt insequenti saeculo Gottschedius (*Beytræge zur critischen Historie*, T. I, Stück 3, p. 366-367) et Reichardius (*Versuch einer Historie der deutschen Sprachkunst*, p. 238-242).

itaque veritatis fidem is nequaquam laeserit, qui affirmaverit, unius Morhofii ope esse effectum, ne concinnum hunc libellum praematura oblivio interciperet auctorisque sententiae, notatu quidem dignissimae, iniquo silentio plane praetermitterentur. Has enim, quamvis interdum, ut vix aliter fieri poterat, gravioribus nonnullis erroribus conspersas, ubique tamen grata quadam novitate et subtili argutia commendatas, nemo illa aetate, praeter Morhofium, videtur pro merito aestimavisse et momento suo ponderavisse.

Quin etiam nullo alio, nisi Morhofio, viam monstrante, ad respiciendam ejus *Artem Etymologicam* ipsum Leibnitium esse perductum, multa, nisi fallimur, verisimilia docent.

Claubergii quidem philosophiae incumbentis rationem a Leibnitio jamdudum attente consideratam et optime probatam fuisse satis constat, cum non semel eum tanquam clarissimum Cartesii discipulum, immo ipso Cartesio « clariorem » philosophum laudaverit ac libens agnoverit quantum ejus « perspicuae » cogitationes ad illustrandas philosophicas de eloquio quaestiones conferre possent (1).

Quodam autem loco opusculi *Unvorgreifliche Gedanken*, ubi de ratione disputat, qua sua cuique vocabulo significatio imposita sit, hunc in modum sententiam suam explicat : « Dergleichen Exempel sind nicht wenig vorhanden, so nicht allein der Dinge Ursprung entdecken, sondern auch zu erkennen geben, dass die Wort nicht eben so willkührlich oder von ohngefehr herfürkommen, als einige vermeynen, wie denn nichts ohngefehr in der Welt als nach unserer Unwissenheit, wenn uns die Ursachen verborgen. Und weiln die Teutsche Sprache vor vielen andern dem Ursprung sich zu næhern scheinet, so sind auch die Grund-Wurtzeln in derselben desto besser zu erkennen, davon auch bereits der tieffsinnige Claubergius seine eigene Gedanken gehabt; und davon etwas in einem kleinen Büchlein angezeiget » (2).

Priorem hujus sententiae partem conscribenti Leibnitio hoc prae-

(1) Cf. *Dut.*, T. IV, pars 1, p. 8 ; V, 183, 334 ; VI, pars 1, p. 15, 296, 311 ; *Nouveaux Essais*, ed. Janet, I, 274.

(2) *Unvorgreifliche Gedanken*, § 50.

cipuae curae fuisse apparet, ut Lockii opinionem de origine impositae cuique nomini significationis refelleret atque in ea controversia dirimenda tacite quidem, nec ideo minus liquido, Claubergii auctoritate niteretur. Is enim fortiter hoc quoque jamdudum negaverat, vel casu imponi, vel arbitrio mutari verborum significationes, cumque contra eas ex certis quibusdam, ut reconditioribus et ipsi humanae menti insitis legibus pendere existimaret, quid de argumento in universum sentiret, his sextae « Regulae » suae verbis conceperat, quibus Leibnitium plane assentiri patet : « A sensibilibus ad intelligibilia quam plurima vocabula sunt traducta » (1).

Posteriore autem ejusdem sententiae parte Leibnitius ipsum Claubergium expresse et nominatim testem citat, et, postquam eum (quod non inutiliter certe notaveris) eodem epitheto, quo Morhofius, ornavit, « tieffsinnig » scilicet (2), hoc potissimum in ejus laude ponit, quod multos jam ante annos haud dubitanter existimaverit, « in germanica lingua, utpote origini proxima, cujusque vocabuli primitivam radicem quamprimum et quam manifestissime apparere », et de ea quaestione dudum peculiaria nonnulla in opusculo quodam proposuerit. Recte quidem, cum cuncta a Claubergio cogitata et meditata ad hanc summam inquirendarum etymologiarum rationem ab ipso in prima libelli fronte his verbis praescriptam tendant : « Deutsch von Deutschem », nec Leibnitii laudibus quidquam extolli potuerit, nisi duae earum « Regularum », quas Claubergius constituerat, prima scilicet et septima, quarum priorem jam supra retulimus, posterior vero ab eo sic enuntiatur : « Vocabulorum Teutonicorum major est quandoque bonitas quam Graecorum, Latinorum aliorumque peregrinorum » (3).

Quae autem fuerint istae « peculiares sententiae », quod fuerit « parvi libelli » argumentum frustra apud Leibnitium quaeras. Minime mirum profecto : nam ex litteris ab eo ad Ludolfum anno 1698 missis liquet, eum Claubergii libellum « nondum vidisse » (4).

---

(1) *Unt.*, 495. — Casu aut arbitrio mutari verborum significationes et formas praecise negat etiam Morhofius multis locis ; cf. infra.

(2) Cf. *Unv. Ged.*, § 50 et *Unt.*, 457.

(3) *Unt.*, 495.

(4) *Dut.*, VI, pars 2, p. 179 : « Claubergius libellum dicitur edidisse, ubi de

initio contra insequentis anni Sparvenfeldio nuntiat diu optatum opusculum tandem in suas manus venisse atque ei statim rescriptum exemplar ejusdem mittit (1).

Unde igitur Leibnitio ante hunc annum 1698 vel Claubergiani operis notitia quaedam, vel maxime ejus argumenti exacta contigerit cognitio, vix erit quod diu requiras. Cum enim eo tempore, ut jam supra notatum est, nemo, nisi Morhofius, Claubergii « Regulas » typis denuo exscripserit, manifesto apparet, non nisi ex *Institutione* Leibnitium desumere potuisse quidquid de ejusdem opusculo in libello *Unvorgreifliche Gedanken* dixerit. Unde non minus necessario fuerit concludendum, nec ante annum 1682 potuisse a Leibnitio libellum *Unvorgreifliche Gedanken* conscribi, et ei componenti ad manus fuisse Morhofii *Institutionem*, quam diligenter perspexerit et uberius in suam utilitatem verterit (2).

Quamvis autem magni Morhofius Claubergii opus et sententias fecerit, nusquam tamen in eum de jure aequi ac liberi censoris decessit, sed, quot et quantis erroribus et vitiis ejus doctrina infecta esset, sagaciter dispexit et sincera fide notavit. Velut ei, ut jam supra notatum est, praecipue hoc, et optimo quidem jure, crimini

---

Etymologia linguae nostrae philosophatur; quem nondum vidi ». Cum non nulli sit momenti de tempore, quo haec epistola conscripta sit, certiora quaedam constituere, haud abs re erit fortasse animadvertere, Leibnitium in ea litteris a Ludolfo Francoforti 18. junii 1698 datis respondere et Meieri sententiam de vocabulo *Bærenhæuter* confirmare, quam hic Ludolfo in epistola 9. febr. 1698 scripta proposuerat. Leibnitii epistola igitur posteriori anni 1698 parti est adscribenda.

(1) *Dut.*, VI, pars 2, p. 220 (7. April. 1699); usque in ultimos vitae suae annos libens recordatur a se paratum fuisse tandem hoc opusculum (Cf. Epistolam XXIX. ad Kortholtum, Hannoverae, die 19. nov. 1715 datam, ap. *Dut.*, V, 334).

(2) Quanta cura, circa hunc ipsum annum 1697, quo libellum *Unvorgreifliche Gedanken* compositum esse inter plerosque constat, eruditi illi viri, quos, vel maximo spatio distantes, Leibnitii industria quasi in unum cœtum contraxerat, sese ad studium Morhofianae *Institutionis* contulerint, jam satis superque docent innumerae a Leibnitio cum Ludolfo et Meiero communicatae litterae, nec minus lucide demonstrant, tum Meieri epistola, in qua, Morhofio duce, de omnibus ad radicem *mad* referendis vocabulis disputatur (*Dut.*, VI, pars 2, p. 171-176), tum magna francogallicarum etymologiarum copia, quas ipse Leibnitius, ut jam supra animadvertimus, cum Morhofio communes habet, ne verius dicam, ex Morhofii opere deprompsit.

vertit, quod analogiae auctoritati plus aequo concesserit (1), unde fiat, ut argutis inter quaedam vocabula, velut *suchen* et *sehen*, *fluchen* et *flehen*, *zechen* et *ziehen*, institutis comparationibus, in vituperationem facile veniat, totam argumentandi rationem, quamvis acuta et subtilis plerumque videatur, nonnunquam tamen speciosam omnino esse, nec ulla re saepius nisi immoderato analogismi usu niti (2).

Analogismum nempe, cujus fallaci et mendosa specie decepti primi etymologici studii sectatores tam saepe erraverunt, utpote infestissimum rectioris cujusque etymologicae doctrinae inimicum ac deterrimum nascenti scientiae impositum vulnus, laudabili perseverantia Morhofius, ubicumque datur facultas, insectari non desinit, cum hujus simul atque allusionis iniquitate effectum esse putet, ut innumeri « plus quam caballisticis nugis referti » libelli prodierint totque vana et inania somnia eo tantum evaserint, ut etymologicam rem merito nimis ridiculam facerent (3). Analogismi enim ope alienisssima quaeque vocabula inter se conferuntur; adhibita autem allusione, mira quaelibet affirmatur significationis congruentia inter vocabula, quibus nihil unquam fuerat commune ; conjuncta tandem utriusque auctoritate finguntur, Schrickii more (4), ex libidine et arbitrio commenticia omnis generis primitiva et derivata vocabula, vel excogitantur ineptae et absurdae etymologiae, Caramuele, Borrichioque et Becano dignae (5), de quibus Scaliger non illepide dixit, « mirari se, esse homines, qui quicquid somniarent, pro oraculis haberi vellent ».

Neminem tamen vocum origines rationesque inquirentem fugere debet, linguas neque casu ortas, neque arbitrio aut libidine auctas conversasque essse, sed ex quibusdam ordinatis et constantibus, quasi ipsa natura impositis, legibus perpetuo ac necessario immutari (6). Hoc igitur primum munus sibi imponere debent viri lin-

---

(1) *Unt.*, 458.

(2) *Ibid.*, 497.

(3) *Ibid.*, 57, 69, 86, 452 ; cf. *Polyhistor*, T. I, Lib. IV, Cap. 3, § 1.

(4) *Ibid.*, 6, 10.

(5) *Ibid.*, 8-9, 57, 127.

(6) Inter quas primum locum ei obtinere videntur, hinc innata cuique genti ad

guarum studiosi, ut istas leges eruant, et inde quaedam quasi in unum corpus deducta praecepta constituant; quibus nixi rem etymologicam investigandam tutius tandem aggredi possint. Namque, ait Morhofius, « so richtige Principia darin kœnnen gesetzet werden, aus welchen die Ableitung der Wœrter folget, wie etwa e corporibus simplicibus et elementis die mista entstehen, und findet fast eine demonstratio allhie staat, jedoch so viel die Natur und Beschaffenheit der Dinge zugiebt » (1).

Quae quidem regulae haud aegre possint detegi et in ordinem digeri, modo etymologice tandem eadem « internae observationis » via tractetur, qua tantum jam ceterae disciplinae, potissimum autem quae ad naturam spectant, inde ab antiquis temporibus profecerunt, atque illa ab Aristotele jam pridem commendata inquirendi ratio adhibeatur, cujus haec summa est, ut « sumpto ex ipsa natura exemplo, e facilioribus et simplicibus ad difficiliora et intricata procedat investigatio » (2).

Nonne hic rursus a Morhofio breviter quidem, sed nihilominus praecise et evidenter enuntiatam habes summam istam gravioris cujusque investigationis legem, quam, solito more, Leibnitius primus promulgavisse fingitur, cum diceret : « Il faut introduire dans l'étude des langues la méthode d'observation et les procédés d'analyse et d'induction en usage dans les sciences exactes et naturelles », aut « L'étude des langues ne doit être dirigée que par les principes des sciences exactes. Pourquoi, en effet, commencer par l'inconnu plutôt que par le connu ? » (3).

Etymologiam insuper si quis prudenti et cauta ratione aggredi volet, meminisse decet, condendis hujus disciplinae legibus nihil inesse debere, quod in conjectura aut inductione ponatur, nec quidquam combinatoriae, ut illo tempore dicebatur, et probabili ratiocinationi esse tribuendum, cum contra ejus elementa non nisi ex ipso

---

certos quosdam sonos propensio, illinc euphoniae vis et momentum (*Unt.*, 19, 110-112, 117).

(1) *Unt.*, 69.

(2) *Ibid.*, 81 et 105.

(3) Pezzi, *Op. cit.*, 47; Max Müller, *Leçons*, 1ª Series, 161 ; Neff, *Leibniz als Sprachforscher und Etymologe*, II, 21-22.

rerum usu et experimento sint deducenda (1). Unde jam appareat nihil ei potius esse habendum, quam ut imprimis cujusque sermonis historiam pertractet et alte scrutetur et antiquissima documenta excutiat ac diligenter respiciat (2). Scire enim cupienti qua de causa in linguis singula exstent, ut nunc sunt, vel qua lege et ratione linguae paulatim aut increverint aut transformatae sint, nulla tutior patet via, quam ut « a quaque lingua per longam saeculorum seriem emensum iter quasi retrogradiatur » atque attente observet, quas quoque tempore commutationes ea sit *gradatim* experta (3). Neque nisi considerata cujusque linguae priore conditione fieri potest, ut praesentem ejus conditionem distincte percipias, neque tibi, quae vocabulis plerisque origo sit adscribenda, vel quae primitiva eis inséderit significatio, recte fingere potueris, si ea talia tantum consideraveris, qualia nunc exstant et occurrunt, cum cuncta, necessaria vicissitudine, diversissimis vel formae vel significationis mutationibus sint sensim affecta, nunc ex una gente ad aliam gentem transgressa, nunc apud unam eamdemque gentem quotidiano usu inflexa et suimet ipsa demum dissimillima facta (4).

Contra nulla fere tam obscura vox occurret, cujus, quae nunc usurpatur, formam aut significationem non facile expedias, dummodo ad formam aut significationem fueris regressus, qua eam olim fuisse praeditam vetera monumenta docent (5); quo longius enim retro respexeris, eo manifestiorem apparere constat tum linguarum, tum vocum inter se primitus cognatarum affinitatem (6).

Hac igitur via est eundum, nec desunt quae ea ingressum tuto itinere procedere sinant (7): veterum enim glossariorum copia in

---

(1) Breviter et concinne Ten Katius eamdem sententiam hunc in modum expromit : « Linguae leges sunt inveniendae, non autem componendae » (Raumer, 144). — De eodem argumento fusius iterum disserit Morhofius, ubi de orthographia agitur.

(2) *Unt.*, 49-50.

(3) *Ibid.*, 109.

(4) *Ibid.*, 19, 27, 33, 54-55, 92, 110, 490.

(6) *Ibid.*, 492-493.

(5) *Ibid.*, 51, 73.

(7) *Ibid.*, 64-65, 84.

dies augetur (1) et antiqua germanicarum linguarum monumenta magis ac magis in lucem rursus prodeunt: haec ante omnia sciscitari decet, ex his potissimum eruetur, quibus legibus lingua sit informata et aucta (2), his nunquam dubiis testibus invocatis aptissime enodabitur obscurioris cujusque vocabuli origo (3).

Quae cum ita sint, vix pluribus verbis docere necesse erit, in his iterum inique eos fecisse, qui Leibnitium laudibus afficere non dubitaverint, quasi primus monuisset, quanti foret momenti ad parandam diligentiorem linguarum originis et incrementi notitiam, si cujusque sermonis historia primum conderetur et, qua via quisque ab antiquissimis temporibus esset progressus, ea quasi retrorsum rediret investigatio. Quamvis enim magno orationis nitore usus hoc argumentum Leibnitius multis locis, praecipue autem in *Brevi Designatione*, presserit, nihil jam ab eo esse dictum apparet, quod non quasi etiam atque etiam contritum sit existimandum, cum plane idem multo ante Morhofius in *Institutione,* haud ita concinnis fortasse, at non ideo minus manifestis verbis significaverit.

Simili modo Leibnitium longe antecesserat Morhofius, cum jam in pluribus *Institutionis* locis indicaret, quot et quanta argumenta ex investigatis gentium, regionum, fluviorum, montium, urbium et ipsorum hominum propriis nominibus essent ducenda. Quae aptum in modum explorata Morhofius jampridem senserat, non etymologicae rei tantum sed gentium etiam historiae melius cognoscendae et populorum originibus connexionibusque certius detegendis, multum conferre posse (4).

Nec minus acute Morhofium, multo ante Leibnitium, perspexisse constat, quanti sit momenti ad illustrandam linguarum historiam diligens variarum, in quas cujusque recentioris populi sermo etiamnunc dispertitur, dialectorum investigatio; cum multis verbi haud

---

(1) *Unt.*, 110.

(2) *Ibid.*, 491-493.

(3) *Ibid.*, 474.

(4) *Ibid.*, 29, 33, 106-107. — De Lutheri studiis ad scientiam propriorum nominum pertinentibus, cf. *Unt.*, 34 et 500; quid de eadem re senserit Leibnitius, cf. Guhrauer, *G. W.*, *Freiherr von Leibnitz. Eine Biographie*, II, 128-129, ac praecipue *Nouveaux Essais*, ed. Janet, I, 274.

semel significaverit quot et quanta argumenta erudito viro eas accurate inquirenti et pro merito respicienti suppeditari possent.

Has enim vernaculas sermonis species summa injuria ut a litteratis viris despici, ita ab etymologis negligi, dolet merito Morhofius, invalescente magis ac magis in dies prava opinione, eis nihil inesse, nisi corruptionem et deformationem quamdam cultioris linguae ; quod tamen longe secus sit, cum contra haec ipsa cultior lingua nihil aliud sit, nisi arte exstructum et quasi ex pacto ac convento paulatim constitutum eloquii genus, in quo nihil reperias quod non multo purius praestiterit vulgaris quaeque dialectus. In dialectis enim non est infitias eundum veros puri et integri sermonis cujusque fontes (1), et eloquii antiquissimam originem fidelissimamque imaginem perpetuo manere (2) ; in eis igitur genuinam linguae formam initio proximam et ab omni macula et contagione tutissimam retineri (3). Hinc, natura hoc ita comparatum est, ut rude et agreste dicendi genus in omni regione exculto et urbano praecurrerit, et, ut Morhofius optime notat, « Der Bauer ist ehe gewesen, ehe der wohl beredte Hoffmann, und würde dieser keine Beredsamkeit haben, wenn nicht die Bauren vor ihm geredet hætten und die Sprache machen helffen » (4); illinc, vernaculae linguae haec est peculiaris agnoscenda virtus, quod externis momentis et peregrinis mutuationibus in quoque tempore multo minus obnoxia, quam politiorum hominum sermo, fuit ; unde fit ut patriae linguae effigies multo tenacius ab ea sit servata (5).

Vulgarium autem sermonum partes hoc strenuo et fidenti animo amplexum merita laude ornare decet ; quippe qui rem professus sit ac fortiter defenderit, non modo a nullis paene antea dictam, sed etiam communi doctorum illius aetatis virorum, qui vernaculas linguas mirifice contemnebant, opinioni contrariam. Unus enim fere, praeter eum, Claubergius (6) videtur sensisse, quantum illae ad fir-

---

(1) *Unt.*, 50.
(2) *Ibid.*, 108-109.
(3) *Ibid.*, 69-70.
(4) *Ibid.*, 79.
(5) *Ibid.*, 69-70.
(6) Cf. quartam ejus Regulam in *Unt.*, 495. — Harsdœrfferus quoque eo tem-

mandas de etymologiis disquisitiones conferre possent; apud Schottelium contra nihil reperias, nisi summam earum contemptionem, cum ne sibi quidem fingere queat, erudito viro quidquam curae esse posse, quomodo haec aut illa vox in una vel altera dialecto enuntietur (1).

Nec negandum insuper a Morhofio causam ut acriter, ita argute esse actam, cum nullum praetermiserit argumentum, quo potissimum pertinaces antiquarum litterarum defensores ac fautores, quos prae ceteris convincere intererat, adhibita opportune ipsorum veterum scriptorum, praecipue Varronis (2), auctoritate, commovere atque edocere liceret.

Adde quod orationem, quoties idoneus adfuit usus, indefessus redintegravit, pari sedulitate nunc de germanicis, nunc de romanicis vulgaribus dialectis proeliatus (3).

Unde jam perspicum fuerit, Leibnitio, concinne quidem pluribus opusculorum suorum locis memoranti, quantum « ad perfectam linguarum notitiam » pertineat, « dialectos quoque provinciarum cognosci propriasque voces notari » (4), nihil relicti aliud fuisse, quam ut, qua jamdudum pateret via, pergeret, nedum ipse pro eo sit habendus, qui eam primus aperuerit.

Conjuncta igitur antiquioris linguae et vulgarium sermonum ope etymologiarum indagatorem quemque niti decet; nec, si quis utroque fonte solerter fuerit usus, in ullam incidet tam obscuram aut reconditam vocem quam non tandem expediat. Quod ut confirmet, Morhofius quaedam affert a Vorstio adscita exempla, e quibus sane apparet, quantum potissimum antiquior lingua auxilii afferre

---

pore raris vulgarium sermonum defensoribus est adnumerandus : at tantis somniis laborant ejus de hoc argumento placita, ut Morhofius non semel prono nimis viro, ipsis quae defendit studiis periculum facienti, adversari debeat.

(1) *Ausf. Arbeit*, 158 : « Ist auch dem studio linguae Germanicae damit wenig gedienet, dass einer wisse, wie ein Teutsch Wort in der Schweiz, in Oestreich, in Franken, in Meissem, in Thüringen, in Westphalen, im Land Braunschweig, Meckelburg, u., werde ausgesprochen ».

(2) *Unt.*, 86.

(3) *Ibid.*, 108-109 et 184.

(4) *Dut.*, VI, pars I, 89, 106, 116.

possit: « Wer will sagen woher dass Wort *ruchloss* komme, wann er nicht weiss, dass das Wort *ruch* oder *ruach* so viel als *Sorge* bei den alten Teutschen bedeutet ? Des Wortes *Beicht* Ursprung wird schwerlich einer geben, welcher nicht weiss, dass es in dem alten Teutschen Psalter *begiht*, oder *begicht* geschrieben wird, und also zusammen gesetzet ist aus der Praepositione inseparabili *be* und dem Wort *giht* oder *gicht* (1).

Quo certe instituto rectius ac tutius progredi investigationem necesse est, quam si, primo impetu, viatoris incognitas terras forte explorantis ritu, longum iter per varias diversissimorum populorum linguas susceperis, collectis turbido et caeco raptu nunc ex hoc, nunc ex illo sermone disparibus argumentis et parum fidis testimoniis (2). Non prius enim ad peregrinae cujuslibet linguae auctoritatem confugere fas est, quam ex ea ipsa, quae in disquisitione ponitur, nulla jam non desumpta indicia supersint (3).

Haec tam caute et considerate praescribentem Morhofium non est sane quod cum Leibnitio conferamus; cum hic talem inquirendi rationem vel disserens aperte ludibrio habuerit, vel ipse etymologiis incumbens quasi ex proposito rejecerit. Hinc enim eos, qui hujusmodi institutum commendent, de industria cum Stjernhjelmio Rudbeckioque et gregalibus implicare ac permixte confundere videtur, deridetque, utpote qui omnia absurde ex sua lingua depromere sibi assumant (4); illinc, ubi in enodandis nominibus ipse laborare cœpit, primo statim saltu ad remotissimam et diversissimam quamque linguam adit, collatis turbide cum graecis, latinis, germanicis, francogallicis vocibus, nunc hebraeis aut chaldaeis, nunc tartaris aut sinensibus, quin etiam americanis vocabulis.

Justo certe ac necessario temperamento utitur Morhofius; postquam enim haud minus graviter quam Leibnitius postea eorum insaniam increpuit, qui Stjernhjelmii, Rudbeckii, Bocharti ritu, omnia

---

(1) *Unt.*, 492-493. — Quid de utilitate vernacularum linguarum in enodandis etymologiis sit sentiendium, jam antea vidimus a Morhofio illustri exemplo francogallici verbi *déchoir* esse demonstratum.

(2) *Unt.*, 60, 104.

(3) *Ibid.*, 56-57, 493-494.

(4) E grege cf. *Dut.*, VI, pars 2, p 223.

ex una aliqua lingua ducere pertinacius contenderent, ultro agnoscit, quam inepte facturus sit, qui nullam nisi in discrimine positam linguam intueri velit, nec ulla respiciat documenta, nisi quae ipsa praebere valeat. Eo ipso vitio nimis peccavisse veteres graecos latinosque grammaticos dolens animadvertit, quorum studiis exactior classicarum linguarum notitia ideo minus profecerit, quod graeca latinaque cuncta ex nullo alio, nisi graeco vel latino fonte, contempta, utpote barbara, peregrina quaque lingua, eruere enisi sint (1). Cangium igitur libente animo laudat, quod hanc pravam veterum grammaticorum consuetudinem arguerit ac meliorem liberioremque inquirendi rationem instituere conatus sit (2).

Pluribus locis insuper notat natura hoc ita esse comparatum, ut omnis lingua paulatim reciproca proximae cujusque vi inflectatur et omni genere mutationum et migrationum, diversa belli et commercii fortuna necessario esse factum, ut innumerae voces ex unaquaque lingua ad aliam quamlibet transirent (3); nec invitus fatetur, hanc etiam ipsius fuisse germanici sermonis conditionem, qui, in quoque saeculo, vicissim e latino, francogallico ceterisque romanicis linguis, quin etiam e graeco multa vocabula receperit (4). Itaque nihil vituperat, nisi insitum plerisque hujus aetatis eruditis viris errorem, quo neglecta rectae cujusque indagationis via, etymologias sibi fingant nullo expeditiore aut certiore modo enodari posse, quam si sese protinus ad remotissimam atque alienissimam quamque linguam atque insuper ad allusiones, analogiam, inversiones, antithesim similiaque futilis doctrinae subsidia contulerint.

(1) *Unt.*, 56-57 et passim.

(2) *Ibid.*, 86-87.

(3) *Ibid.*, 24 et passim.

(4) De quo jam supra satis est disputatum. — At, dum ea concedit, linguae germanicae multas voces haud immerito vindicat, quae insequentibus saeculis in inferiorem latini sermonis speciem, vulgo *bas-latin* dictam, et inde in omnes romanicas linguas, transierunt. Cf. *Unt*,, 72.

CAPUT III.

DE ETYMOLOGICIS LEGIBUS A MORHOFIO CONDITIS.

Constituta igitur in hunc perspicuum, quem supra vidimus, modum universa suscipiendae cujusque etymologicae disquisitionis ratione, Morhofius statim ad id procedit, ut documento demonstret quem fructum recta usos methodo carpere et quam graves atque ad fundamenta etymologicae doctrinae firmius jacienda idoneas leges ex sagaci prudentique linguarum tractatione eruere liceat.

Primam autem, quanti semper momenti ad informandas linguas dialecti fuerint memor et quasi instinctu quodam ac proniori ad vernaculos sermones studio impulsus, his verbis concipit : « Je einfæltiger und grœber eine Sprache, desto ælter und ungemischter sie sey, und denen andern [scilicet : künstlichen und ausgeputzten] vorgehe » (1), sententiamque paulo post ita explicat et absolvit, ut addat: « Weiln eine aussgeputzte Sprache jünger ist, als eine rauhe und unbeschnittene » (2).

Temerariam quidem et aliqua ex parte proximi lucri spe conceptam opinionem istam primo adspectu forsitan judicaveris; satis enim apparet quae argumenta inde ad vindicandum germanicae linguae prae graeca et latina primatum protinus ducere sibi proponat (3). Si eam tamen in universum integro animo consideraveris, nihil jam ei inesse reputaveris, quod cum probata nostri temporis scientia, admissa vix hic illic rara quadam exceptione, discrepare, aut a naturali et comperto cujusque fere sermonis ortu et progressu abhorrere videatur.

---

(1) *Unt.*, 69.
(2) *Ibid.*, 74.
(3) Cf. totam in *Unterricht*, 73-78, institutam disputationem.

Ceterum opportune ac caute simul ea, quae asseverat, longa exemplorum serie confirmat, quibus potissimum doctorum, qui toti in humanitatis disciplina tunc erant, virorum animi commoveri possent. Testes enim hinc classicas, illinc romanicas linguas, prae ceteris, invocat, atque ex ordine nunc ipsam graecam linguam profert, per longum temporis spatium, quamdiu nempe a Pelasgis usurpata sit, inculte et barbare sonantem; nunc priscum romanae gentis sermonem allegat, quem vetera monumenta ex uno eodemque barbaro fonte, atque reliquas antiquiores Italiae dialectos, ortum esse docent ; nunc romanae rusticae linguae asperitatem memorat, quae initio quasi ex mixta latina barbaraque colluvie creata, paulatim tamen tot incomparabili nitore pollentes romanicos sermones genuerit (1).

Facile igitur ei forsitan ignoveris, si quid de hoc argumento non ita moderate fuerit affirmatum, cum respexeris totam ejus dispntationem ad nihil aliud tendere, quam ut hic rursus, non vituperanda profecto pertinacia usus, necessariam, licet illo tempore a nullo fere perceptam, differentiam in lucem proferat, quae inter cultiores linguas et dialectos intercedat. Hoc enim loco iterum inaudita eousque diligentia secernit Morhofius hinc perpolitum et excultum cujusque populi sermonem, qui dum humaniorum usu indesinenter exornetur et perpoliatur, continuo etiam deformetur ac velut emacietur, illinc primitivam et genuinam plebis linguam, quae, quamquam cum illo usque artissimo consanguinitatis vinculo conjuncta, eum tamen increscentem et progredientem haud aequis passibus sequatur, antiquas autem dicendi et quasi cogitandi rationes et formas fidelius retineat (2) ; unde fiat, ut, ob id ipsum a delicatioribus hominibus contempta, eo manifestius tamquam integra et sincera patrii cujusque sermonis effigies appareat et pro puro perennique fonte sit habenda, ex quo cultior lingua novas vires haurire semper possit et debeat (3).

(1) *Unt.*, 70-72.

(2) Cf. praecipue quae subtiliter excogitat, cum exponit nunc quam Romae, Ciceronis tempore, plebeius sermo cum cultiorum hominum lingua rationem habuerit, nunc quatenus et quomodo omni tempore litteratorum ac, prae ceteris, oratorum verba vulgus intelligere soleat (*Unterricht*, 71-72).

(3) *Unt.*, 79.

Ejusdem sane procacitatis specie offendi quispiam potuerit, cui primum innotuerit secunda ab eo data etymologica lex; hujus enim haec sunt verba: « Dass mann die Einsilbige und von Consonantibus gleichsam zusammen gepresste Wœrter ælter halte als andere, von welchen die vielsylbigen und wollklingende(n) herkommen, ob zwar in gewissen Fællen diese Regul einige Exception leidet » (1). Nec tamen ullam facile invenias, quae illo tempore opportunius esset enuntianda, aut quae, justis profecto quibusdam, ut Morhofium ipsum non fugit, correctionibus adhibitis, cum comprobata recentiorum grammaticorum doctrina planius congruat (2).

Accepta enim Morhofii sententia necesse erat eorum errorem protinus deponi, qui omne vocabulum tamquam absolutum et indissolubile quiddam intuerentur, non nisi ex ea, quam nunc exhiberet, forma considerandum ac manifestum simul fiebat quam prave facerent, qui de vocabulorum cognatione, nulla nisi fortuitae et speciosae cujusdam similitudinis ratione habita, et comparatis tantummodo inter se integris ac totis vocabulis judicarent. Ante omnia igitur quaerendum esse apparebat, qua via et quo decursu nunc occurrentia polysyllaba verba a brevioribus vocibus manavissent, e quibus partibus verbum quodque constaret, quam peculiarem vim

---

(1) *Unt.*, 80-81. — Quas et quales « exceptiones » Morhofius significare voluerit, non ita liquet; hoc tantum videtur vero propius esse, ei potissimum veterem septentrionalem et germanicam medii aevi linguam (vulgo *mittelhochdeutsch* dictam) in mentem venisse; quod saltem probabiliter satis ex ea ratione conjici potest, qua et plura nordica verba cum germanicis vocibus confert, et saepius animadvertit, multa germanica vocabula, ut *Beicht*, *Freund*, *Feind* ceteraque, quae nunc monosyllaba pronuntientur, olim dissyllaba vel etiam trisyllaba fuisse, atque insuper germanicae medii aevi linguae hoc crimini vertit, quod, nimio contractionis studio, antiqua modulate sonantia vocabula asperitate et duritate quadam affecerit. Cf. insuper *Unt.*, 474.

(2) Idem iisdem fere verbis a doctissimo viro W. Skeat praeceptum esse constat; hic enim, inter leges « Canons for Etymology » appellatas, quas operi suo, « *Etymological Dictionary of the english language* » (Oxford, 1888, in-4°) inscripto praefixit, quartam hunc in modum concepit: « In comparing two words, A and B, belonging to the same language, of which A contains the lesser number of syllables, A must be taken to be the more original word, unless we have evidence of contraction or other corruption » (p. XXIII).

et significationem singulae cujuslibet vocis partes ad eam informandam contulissent: quid multa? quasi sponte animo subibat perspicuum radicis et suffixi discrimen.

Morhofius sane non primus est habendus, qui radicis vel thematis notionem in germanicam grammaticam introduxerit. Longe enim ante eum Laurentius Albertus in sua *Teutonica Grammatica* nonnullas jam ex ordine enumeraverat terminationes, « quarum ope verbalia e verbis et eorum participiis formantur », multisque verbis monosyllabam omnium primitivarum germanicae linguae radicum naturam laudaverat, qua profecto manifestum fieri putabat, cum hebraico sermone germanicum artiore quodam nexu esse conjunctum, cum tanta brevitas nec in graeco nec in latino occurrat (1).

Lente tamen processit tum vix praesensa de hoc argumento notitia, et quam incerta et vaga medio ipso XVII° saeculo, in his etiam quae ad antiquas linguas pertinerent, fuerit, compertum satis habueris, si observaveris qua ratione et doctrina unus e praestantissimis viris, qui ea aetate classicis studiis incumberent, inclytus Gerardus Vossius ipse graecas et latinas etymologias in suo *Aristarcho* (1635), quin etiam in suo *Etymologico linguae latinae* (1671) tractaverit. Quamvis enim magna eruditione et sollertia ejus opera, quae etiam hodie non sine fructu evolvi possunt, commendentur, non tamen infitias eundum est, eum de multifaria litterarum permutatione, detractione aut adjectione ceterisque ejusdem modi subsidiis, quibus niti solet etymologica ejus doctrina, disserentem, ne suspicari quidem esse visum, quid sit vel radix et terminatio, vel thema et suffixum ; cumque vix obscura et ambigua quaedam de nominum compositione interdum occurrant, eatenus tantum progreditur, ubi in enodandis etymologiis laborat, ut graeca et latina

(1) Raumer, 67. — Memoranda sunt etiam similia quaedam, quae leguntur aut apud Justum Lipsium notantem verbales nonnullas flexiones in persica et batavica lingua mire congruere (Raumer, 95), aut apud Stjernhjelmium animadvertentem quam pari ratione declinentur goticum verbum *haban* latinumque *habere* (Raumer, 152). Ex his autem carptim et obiter annotatis nihil colligi potest, unde appareat eos suspicatos esse, vel quod themati et suffixo momentum in informandis vocabulis sit tribuendum, vel omnino ex hujus modi elementis omnes voces esse concretas.

vocabula integra et tota comparet nec quidquam nisi plus minusve manifestam eorum similitudinem respiciat, ut sunt, exempli gratia, *meus* = μεῦ, nos = νώ, homo = ὁμῶς, similis = μιμηλός, vello = τίλλω aliaque multa (1).

Praetermisso, ut par est, Schrickio, cujus somnia Morhofius justa severitate et merito contemptu excipit (2), jam ad Schottelium est transeundum, si quas velimus uberiores de ea re cogitationes reperire (3). Is enim unum e multis amplissimi operis Tractatibus indicem esse voluit, quo continerentur « Radices seu primitiva linguae germanicae » (4), non sine aliquo effectu, si incepti novitatem consideraveris, quamquam vel ex ipsis indici praemissis cogitationibus, vel ex innumeris falso erutis radicibus aut perperam admissis peregrinis vocabulis et polysyllabis, immo interdum compositis vocibus, satis apparet eum nondum animo concepisse, quid sit vera radicis natura.

Morhofius contra non modo radicis indolem et naturam penitus jam introspexit et quid inter radicem et terminationem intersit plane intellexit, sed etiam quot et quanta argumenta ex accurata utriusque sejunctione etymologus quisque eruere queat, sagaci animo intuetur et optimis exemplis demonstrat.

Natura enim monosyllabam in omnibus europaeis et nonnullis asiaticis linguis, longe seposita, ut par erat, semiticarum linguarum specie, radicem esse pro comperto habet et multum abest ut, quorumdam errorem amplexus, hanc primitivam radicis formam pro eximia et peculiari unius cujusdam linguae praerogativa ducat. Immo cunctorum atque ipsius graeci et latini, nec non veterum Italiae sermonum eamdem conditionem (5), velut quadam naturae lege (6), initio fuisse profitetur; cumque, temporis, ut ita dicam,

---

(1) Cf. Curtius, *Grundzüge*, 5. ed., p. 8 sqq. — Plura de variis huc spectantibus sententiis, quae per totam priorem XVII[i] saeculi partem sensim emerserunt, videas apud ipsum Morhofium, *Unt.*, Lib. II, cap. 5.

(2) *Unt.*, 10.

(3) *Ausf. Arbeit*, 68, 72, 398.

(4) *Ibid.*, Lib. V, p. 1269-1450.

(5) *Unt.*, 81-82, 90.

(6) *Ibid.*, 81.

instinctu ductus, existimet, quasi praecipua antiquitatis nota eas linguas commendari, in quibus ista radicum brevitas facilius detegatur (1), nihil aliud in laudem germanicae linguae vertit, nisi quod apud eam illae radices, vix depositis interdum raris ac brevibus terminationibus, statim quasi nudae appareant, cum contra eas in graeco et latino sermonibus, utpote cultioribus et arte magis deformatis, non liceat, nisi longo per diversissimas terminationes et transformationes itinere facto, reperire (2). Unde tibi rursus persuadere queas, totam Morhofii de ea re disputationem multo minus ad id tendere, ut germanicae linguae insigne quoddam antiquioris originis indicium vindicet, quam ut eam, tamquam minus commutatam et inflexam, communi origini propriorem et pristinae indoli fideliorem remansisse evincat.

De terminationibus pariter disserenti Morhofio, quamquam earum originem sibi non tam recte fingere valuit, longe tamen probabiliora et saniora proferre contigit, quam cuiquam vel prioris vel ejusdem aetatis erudito viro.

Schottelius enim, ut optimam illius aetatis auctoritatem statim allegemus, terminationes in linguam germanicam, graecae et latinae exemplo, libidine, immo corruptione quadam esse impositas pro comperto habuit. Namque ei haud dubium est germanicam linguam *ex omni aeternitate eam fuisse*, quae tunc fuerit, vel potius quae tunc rursus apparuerit, postquam expurgata et in pristinum nitorem restituta sit. Cum igitur vetera monumenta multas voces diversis et mirificis terminationibus quasi amictas praebeant, hoc ei, abjecta omni cunctatione, superiorum temporum rusticitate ac praecipue incuria effectum esse videtur, qua vernaculi sermones cum litterata lingua magis ac magis permixti sint (3).

Quam quidem interpretationem, tametsi portentosam omnino, Schottelius minime primus proposuerat. Jamdudum enim, longe alio sane animo usi atque inde potius germanici sermonis dignitati aliquid adstruere conati, hinc Trithemius de Otfridi lingua similem

---

(1) *Unt.*, 19.
(2) *Ibid.*, 83, 87 et passim.
(3) *Ausf. Arbeit*, 43-44, 48, 152-175.

in modum judicaverat (1), illinc Lazius adjunctas germanicis vocabulis terminationes his verbis existimaverat: « Non pauca eodem pene modo pronunciata erant, sed imitatione linguae latinae pulchre desinentia inflexa » (2); cumque longe absit, ut inde ullam corruptionis notam germanicae linguae haerere existimet, sedulo exempla coacervat, ex quibus manifestum fiat, « quantum Romanam terminationem vocum, genera atque inclinationes omnes in suis Franci vocabulis sint aemulati, ut scilicet barbaram linguam ornatu quodam ac similitudine Romanis commendarent » (3).

Nec nisi post longum tempus deleta et evulsa est ex animis hominum falsa ista opinio; multo enim post Morhofii tempus, anno 1723, Ten Katius nonnullas goticas terminationes a graecis derivatas arbitratur (4); quin etiam, fere ineunte XIX° saeculo, Adelungius ipse suscepta denuo, ne dicam in pejus versa, Schottelii sententia, non dubitat de occurrentibus in germanico sermone praefixis et suffixis ita prave judicare, ut affirmet eis nihil inesse nisi « müssige und nichtsbedeutende Sylben », quorum vix ulla, velut finalem *o* in verbis *Franko*, *guoto*, etc..., pro fortuito incremento haberi vult, quod veteres Germani eo tantum animo receperint, ut suavius et dulcius sonarent vocabula. Qua autem ratione illi augendae euphoniae curam gesserint, haud ab re forsitan fuerit intueri: « Vor dem XII. Jahrhundert, da die Kœrper, folglich auch die Sprachwerkzeuge noch sehr grob und ungeschlacht, und die Kenntnisse noch sehr ungebildet waren, wandte man dieses Mittel beynahe ohne allen Unterschied an, und verlængerte jedes Wort, es mochte ein Wurzelwort oder abgeleitetes seyn, durch einen Vocal » (5). Tantam omnium, quibus vocabula formantur et inflectuntur, legum inscientiam deprehendenti facilius sane erit Morhofio ignoscere, si, temporis errore ipse deceptus, minus rectam de terminationum origine sententiam tulerit, vel potius secutus fuerit.

Fatendum est enim eum, haud secus ac Schottelium, Ten Katium

---

(1) Raumer, 17.
(2) Lazius, *De gentium aliquot migrationibus*, 72 A.
(3) — — — 72 B.
(4) Ap. Raumer, 146.
(5) *Magazin für die deutsche Sprache*, I, 3 (1782), p. 22 sqq., ap. Raumer, 239.

ceterosque ejusdem aetatis eruditos viros, perverse esse opinatum, germanicae linguae nullas initio fuisse terminationes, eas autem postea, partim Graecorum et Latinorum imitandorum causa, partim dulcioris assequendae consonantiae studio esse paulatim admissas (1). At saltem eatenus communi errore imbutus est : namque nec libidine aut casu, nec barbara quadam gentis conditione, linguam eo usque a solita consuetudine discessisse putat. Omnem linguam contra naturali et continuo decursu inflecti ratus, terminationum usum nullo alio consilio admissum esse censet, quam ut novo isto et artificioso modo notaretur verborum ordinatio, quae praepositionum, adverbiorum ceterarumque particularum auxilio antea significari esset solita (2). Terminationum igitur hanc definitionem proponit, cui vel recentissima doctrina assentiri potest : « Denn sie sein gleichsam die Characteres, dadurch die Beschaffenheit der Wœrter ausgedrücket wird » (3). Unde jam agnoveris eum de temporum ratione tantum falso judicavisse et sibi ordinem praepostere finxisse, quo linguae nunc terminationes, nunc cetera voces ordinantia signa deinceps usurpaverint.

Quam plane autem earum usum et peculiarem significationem intellexerit, ipsa docet ratio, qua suas de hoc argumento sententias imprimis in rem orthographicam contulerit. Ibi enim firmis argumentis demonstrat, ut fusius postea ostendetur, veram suffixorum naturam perpendenti istas absolute repudiandas esse leges, quas vel de informando numero plurali vocabulorum in *-en, -er*, *-el* desinentium, vel de admittenda aut rejicienda in dativo singulari littera finali *-e,* vel de informando, ope suffixi *-en*, verborum infinitivo, Schottelius imponere conatus esset (4).

Nec minus sagaciter, ad etymologiam transgressus, ostendit, quae sit terminationum ratio habenda, si fuerint inter se conferenda diversarum linguarum vocabula. Velut, instituta comparatione inter lat. *lacryma*, gr. δάκρυμα (δάκρυ, δάκρυον), got. *tagr*, celt. *daigr* (*daer*,

(1) *Unt.*, 82, 115, 160, 506.
(2) *Ibid.*, 505-506.
(3) *Ibid.*, 88.
(4) *Unt.*, 471-472, 477-478. — Proclivior Leibnitius errantem de his rebus Schottelium secutus est.

dér). ags. *téár* (angl. *tear*), nhd. *zæhre*, optimo jure animadvertit, earum vocum cognationem demonstraturo minime esse respiciendas varias terminationes, ut *-yma*, -υμα, -υον, quippe quae nihil aliud sint nisi graecae et latinae linguae pecularia suffixa, quorum ope Graeci et Latini quasdam substantivorum classes creare consueverint, nec quidquam ad rem pertineant, ubi de radicibus inter se aequiparandis agatur (1). Recte idem, de origine verbi *Barditus* disserens, monet ejus terminatione, quamcumque ceteroquin ipsi radici primigeniam significationem tribuendam esse putaveris, manifesto jam demonstrari vocabulum ad latinam normam informatum esse et sonum quemdam necessario indicare, cum alia quoque nonnulla vocabula ejusdem suffixi ope formata sonum significent, ut *hinnitus*, *tinni-tus* (2).

Qua insuper ratione ex conjuncto cum radice suffixo exstiterit vocabulum quodque, ita sollerter expedit, ut ejus interpretationem plerique nostrae aetatis grammatici non nisi omni ex parte comprobare possint. Censet enim in connectendis singulis vocabulorum partibus, nunc mediam quamdam vocalem (quae hodie copulativa dicitur) esse interpositam, nunc, velut affricatis inter se radice et terminatione, unam vel alteram consonantem interdum intercidisse. Ex brevibus autem ac levibus syllabis terminationes plerumque constare animadvertit, quod probabiliter omnino ita interpretatur, ut dicat « istam terminationum conditionem naturali eloquii numero et rhythmo favere ac forsan ex ipsis rhythmi legibus originem ducere » (3). Singulas autem in singulis linguis diverse et peculiariter esse tum creatas, tum usurpatas, tum variis significationibus instructas notat (4).

Quae cum ita sint, sic docere pergit Morhofius, cavendum est diligenter ne vocabula vel ex pluribus linguis, vel ex uno eodemque sermone desumpta, inter se ob eam solam causam conferas, quod plus minusve similia primo adspectu sint visa; namque, cum fieri queat,

(1) *Unt.*, 146-147. — Cf. etiam, quae de latino suffixo *per* cum germanico *ver* conferendo, Claubergio duce, disputat (*Unt.*, 507-508).

(2) *Unt.*, 299.

(3) *Ibid.*, 82-84.

(4) *Ibid.*, 87.

immo plerumque necessario fiat, ut singula e diversissimis elementis constent et propria cujusque sermonis ratione et lege sint formata, te periculo temere objicias voces origine et compositione omnino alienas aequiparandi (1). Nulla enim reputanda est gravis et certa comparatio, nisi quae a solis radicibus petitur et, remotis prius terminationibus, instituitur (2).

Repudiatis igitur erroribus, quibus tum decepti omnes eruditi viri etymologias tantummodo ex formae similitudine, et, si insuper copia daretur, ex significationis convenientia explicare contenderent, Morhofius hoc confidenter affirmat : « Die Gleichheit aber der Wœrter, die im blossen Laut bestehet, machet keine Verwandtschafft unter sie, wodurch sich doch bisweilen gelehrte Leute verführen lassen » (3) ; itaque tertiam instituendae investigationis legem sic praescribere non dubitat : « Die allzu grosse Gleichheit ist viel verdæchtiger, als wenn einiger Unterschied in den Wœrtern ist » (4).

Ista autem strenue eum contendentem non est quod credas impetu magis quodam animi quam cogitatione esse usum; opinionem enim illam tam subtili animo tuetur, ut integra jam apud eum quattuor praecipua argumenta reperire queas, quibus unus e praestantissimis nostri saeculi etymologis, illustrissimus nempe vir Maximilianus Müller, eamdem sententiam in suis *Novis Praelectionibus* defendit.

Quemadmodum enim Müllerus hoc primun enuntiat : « Le même mot prend des formes différentes dans des langues différentes » (5), ita Morhofius pluribus locis, praecipue autem ubi de verbo *cadere* disserit, quam diversa ab eo vocabula in diversis romanicis linguis sint derivata ostendit atque idem necessario omnibus vocibus ipsa eloquii lege et natura accidere animadvertit (6). Quin etiam eo usque progreditur ut multo ante Leibnitium dicat : « Dann es kommen bis-

---

(1) *Unt.*, 80-90, 471, 474, 478, 507.
(2) *Ibid.*, 88.
(3) *Ibid.*, 94 ; cf. 103-104.
(4) *Ibid.*, 93.
(5) M. Müller, *Nouvelles Leçons*, I, 325 sqq.
(6) *Unt.*, 490 sqq.; cf. 19 et 107.

weilen Wœrter von andern her, die fast keinen Buchstaben gleich haben, und kann doch klærlich dargethan werden » (1).

Secundum ejusdem Mülleri propositum, cujus haec sunt verba : « Le même mot prend des formes différentes dans la même langue » (2), Morhofius jam sic conceperat: « So werden die Wœrter nothwendig nicht allein in frembden Sprachen, sondern auch in den Dialectis von einer Sprache verændert » (3).

Simili modo tertiae Mülleri sententiae : « Des mots différents prennent la même forme dans des langues différentes » (4), respondent plane paria Morhofii verba : « Es kan auch kommen, dass in frembden Sprachen bisweilen Wœrter vorkommen gleiches Lauts und Bedeutung bloss von ungefehr, daraus so fort nicht zu schliessen es komme dieses Volck oder diese Sprache von dem andern her » (5).

Quartum deinde Mülleri aphorismum : « Des mots différents peuvent prendre la même forme dans une seule et même langue » (6), Morhofius jam haud ambigue sic protulerat: « So finden sich in einer einzigen Sprache Wœrter, die gleiches Lauts, aber verschieden von Bedeutung und Ursprung sind » (7), et hanc ultimam sententiam uberrimis de germanica lingua depromptis exemplis confirmat. Notat enim insequentibus teutonicis vocabulis, plane profecto similibus, si formam tantum respexeris, nihil omnino commune esse, si ad significationem et originem spectaveris : *liegen* jacere et *liegen (lügen)* mentiri ; *arm* pauper et *Arm* brachium ; *Wagen* currus et

---

(1) *Unt.*, 490. — Eamdem sententiam iisdem verbis Leibnitius repetit : « Itaque, etsi nullam litteram communem habeant, *cou* et *hals* tamen origine connectuntur » (*Dut.*, VI, pars 2, p. 61) et Müllerus etiam dicit : « Nous savons la descendance commune de mots qui n'ont pas une seule lettre en commun » (*Nouvelles Leçons*, I, 307).

(2) *Nouvelles Leçons*, I, 331 sqq.

(3) *Unt.*, 110.

(4) *Nouvelles Leçons*, I, 353 sqq.

(5) *Unt.*, 104

(6) *Nouvelles Leçons*, I, 360 sqq.

(7) *Unt.*, 94 ; cf. 104.

wagen audere; *Küssen (Kissen)* pulvinar et *küssen* osculari; *thor* stultus et *Thor* porta; *Wand* paries et *Wand* pannus (1).

Nec ullam praetermittit occasionem, quin memoret, multo minus verborum similitudinem quam continuam litterarum mutationem esse respiciendam: nunc enim instans sic disputat: « Ist also auff Gleichheit nicht so sehr zu sehen, als auff die Verænderung, die in den Wœrtern vorfællt » (2), nunc argumentum rursus his verbis premit: « Eine Hauptregul ist, wie ich schon vorhin erwiesen, dass man nicht so sehr auff die Gleichheit, als auff die Verænderung der Wœrter sehe » (3); ac semper eo evadit ejus argumentatio, ut manifestum fiat, quantum intersit, « dass man gar genau die Verænderung der Vocalium und Consonantium in Acht nehme, woran ein grosses in den Derivationibus der Wœrter gelegen » (4).

Has autem litterarum mutationes nullo pacto pro rara exceptione aut anomalia vult haberi; immo omnes voces a pristina forma necessario discedere existimat, ut quaeque vel ad aliam linguam transeat, vel in una eademque lingua, tum usu quotidiano quasi trita, tum dialectorum varietate jam ab initio variis formis induta, sibi ipsa tandem dissimilis facta esse videatur.

Optimo jure animadvertit, hinc in omni lingua vix quidquam vocalibus mobilius esse, cum cunctae paene in quaslibet alias convertantur, non modo ad alteram linguam migrantibus vocabulis, sed etiam privati cujusque hominis ore sensim insinuata et proniore cujusque dialecti ad certos sonos studio aucta in dies discrepantia (5); illinc fere idem consonantibus contingere, « wie denn eine jegliche Sprache ihre eigene Consonantes hat, welche sie vor allen andern beliebt » (6); utrasque tandem nequaquam subito aut

---

(1) *Unt.*, 94. — Non plane quidem ad fidem faciendam aptum videri poterit ultimum a Morhofio allatum exemplum; sed etiamnunc inter grammaticos minime constat, qua ratione sint variae vocabuli *Wand* significationes inter se componendae et ad radicem verbi *Winden* referendae.

(2) *Unt.*, 104-105.

(3) *Ibid.*, 490.

(4) *Ibid.*, 92-93.

(5) *Ibid.*, 110-111.

(6) *Ibid.*, 111.

abrupte, sed lente tantum et quasi gradatim *(stufenweise)* mutari (1).

Quae autem vera in mutandis vocalibus ratio intercedere queat, Morhofius ne suspicari quidem videtur ; vix semel enim eam legem, quam nunc *'Ablaut* vocant, confuse omnino et obscure praesentire visus, eatenus tantum rectam de eo argumento opinionem profert, ut existimet naturali quadam eloquii necessitate, nec libidine aut casu vocales inflecti.

De transformandis contra consonantibus longe certiora jam apud eum reperias. Varia quidem huc spectantia nonnulli ante eum observaverant et, collatis tum graecis et latinis, tum goticis, teutonicis, batavis, anglosaxonicis vocabulis, notaverant, ipsas quam maxime forma et significatione congruentes voces quadam tamen consonantium dissimilitudine et varietate interdum discrepare (2).

Quin etiam fuerant, qui, ut Goldastius (3) et Franciscus Junius (4), singula jam magis uno conspectu amplexi animadverterent, nunc litterae graecae π et latinae *p* respondere saepius germanicam *f*, nunc cum latina *c* et graeca κ plerumque congruere goticam aut anglosaxonicam *h*.

Sed omnibus, vel uberrima exemplorum copia ea quae perceperant confirmantibus, ista consonantium diversitas utique pro anomalia aut enormitate, ne dicam pro vitio, reputanda esse videbatur; nec quidquam aliud sibi cuncti fingere poterant, nisi aut classicos, aut germanicos sermones a pristina integritate descivisse, alterutra opinione admissa, ut quisque vel graecae et latinae, vel goticae et germanicae linguae primatum defendere sibi sumpserat.

Morhofio igitur haec est duplex laus tribuenda, quia, cum sensisset nulla alia quam ipsi naturae insita lege tot mutari in omni lingua consonantes, statim eam legem tam sollerter in universum

---

(3) *Unt.*, 109.

(4) Cf. exempli gratia, quae ipse Morhofius de Aventino dicat (*Unt.*, 149. — De omnibus qui argumentum ante eum tractaverunt, cf. Raumer, 22 (Aventinus), 28 (Lazius), 35-36 (Flaccius Illyricus), 41, 44 (C. Gesner).

(1) Raumer, 56, 512.

(2) *Id.*, 127, 512-513.

adhibuit et in omnes consonantium ordines contulit, ut singulas utriusque, quae nunc dicitur *Lautverschiebung*, legis partes perlustraverit et disertissimis per totum opus sparsis exemplis illustraverit.

Ac primum de universa consonantium mutandarum causa disserens, repetita vi monet quae jam de vocalibus dixerat, et indefessus memorat, non nisi ipsa eloquii conditione fieri posse, ut omnes fere consonantes, vel ad alias linguas migrantibus, vel in eadem lingua continenter tritis vocabulis, a pristina forma sensim ac necessario discedant. Cujus conversionis exempla, cum innumera praebeant latina lingua et romanici sermones, multa quoque in ipsa germanica occurrunt consideranti qua conditione ea per singula saecula usa sit atque etiamnunc in variis dialectis utatur : « Wir haben in der eintzigen Teutschen Sprache dieselbe (sc.: Verænderung) von Zeiten zu Zeiten und in den Dialectis vor Augen » (1).

Deinde vero annotat certo tantum quodam ordine eas mutari, quem facile dignosci posse et subtiliter dignoscendum esse putat, namque ait, « hie kan nun gar wol eine gewisse Richtigkeit getroffen und feste Regulen auss instændiger Observation gezogen werden » (2); et ipse in universum consideratam rationem his verbis delineat : « Die Consonantes werden auch in einander verwandelt, nachdem sie ihnen untereinander verwandt, oder von einem Organo gebildet werden, und den Vœlckern sie angebohren seyn » (3).

Quid denique, instituta hunc in modum investigatione, consequi liceat, optimo testimonio demonstrant ipsae ab eo tentatae et feliciter plerumque enodatae etymologiae, quarum praecipuas primum, ad priorem quam dicunt *Lautverschiebung* spectantes, quo manifestius in lucem prodiret ejus inquirendi ratio, in unum colligere et in solitum doctis nostri saeculi viris ordinem digerere placuit :

Idg. K = Germ. H. — Lat. *celare*, *helen*, *gehelen ;* lat. *calamus*, *halm ;* gr. καρδία, *hart*, *hertz ;* lat. *cornu*, got. (*Palls-*)*horn*,

---

(1) *Unt.*, 106.

(2) *Ibid.*, 105. — Cf. 118, ac praecipue 112 : « Diese Verænderungen müssen so viel mœglich in eine Richtigkeit gebracht werden, welches endlich wol geschehen kan ».

(3) *Unt.*, 111

germ. *horn;* gr. κεφαλή, lat. *caput*, germ. *haupt*, angl. *head;* gr. κύων, germ. *hund;* lat. *cutis*, germ. *haut;* lat. *specere, aspicere*, germ. *spæhen;* gr. εἴκειν, germ. *weichen* (1).

Idg. Gh (gr. X, lat. H) = Germ. G. — Lat. *hortus*, germ. *garten;* lat. *hesternus*, germ. *gestern;* lat. *hostis*, germ. *gast;* gr. χολή, germ. *Galle* (2).

Idg. G = Germ. K. — Lat. *granum*, germ. *kern, korn, karn* (3); gr. γυνή, angl. *queen*, germ. *kind* ceteraque ejusdem stirpis vocabula (4); gr. ἔργον, germ. *Werk;* gr. γόνυ, lat. *genu*, germ. *Knie;* gr. λείχειν, lat. *lingo*, germ. *licken* (*lecken*) (5); lat. *gustare*, germ. *kosten* (6).

Idg. T = Germ. Th (Ahd. D). — Gr. ἄτμος, germ. *athem, othem, odem;* lat. *torreo*, germ. *dürren;* lat. *tolerare*, germ. *dulden* (7).

Idg. Th = Germ. D. — Gr. μισθός, got. *mizdô* (8).

Idg. D = Germ. T (Ahd. Z; T, Tz, Ss). — Gr. Δρῦς, angl. *tree* (9); gr. ὀδους, lat. *dens*, bat. *tand*, germ. *Zahn;* gr. δάκρυ, δάκρυον, lat. *lacryma*, got. *tagr*, ags. *teâr* (ang. *tear*), germ. *Zæhre;* lat. *edo*, germ. *eten, essen* (10); gr. δείκνυμι, germ. *zeigen* (11); lat. *duo*, germ. *zwei* (12).

Idg. P = Germ. F (Ahd. B; V, F). — Lat, *piscis*, got, *fisk*, germ. *Fisch*; lat. *aper*, germ. *Eber;* lat. *rapa*, germ. *Rübe* (13); gr. πούς, lat. *pes*, germ. *fuss;* lat. *pellis*, germ. *felle;* lat. *sopor, sopire*,

---

(1) *Unt.*, 38, 138, 145. — Perinde ac Leibnitius, perperam miscet quoque Morhofius *Haupt* et *Kopf*.

(2) *Unt.*, 118, 145.

(3) *Ibid.*, 115.

(4) *Ibid.*, 133 sqq.

(5) *Ibid.*, 144-145.

(6) *Ibid.*, 145.

(7) *Ibid.*, 62, 146, 224.

(8) *Ibid.*, 118.

(9) *Ibid.*, 119.

(10) *Ibid.*, 145-147.

(11) *Ibid.*, 23.

(12) *Ibid.*, 55.

(13) *Ibid.*, 118-119.

dan. *soffn* (sovn) (1); lat. *pirus*, germ, *birne* (2); lat. *per-*, germ. *ver-* (3).

Idg. Bh [?] **(Gr. Φ Lat. F). = Germ. B.** — Lat. *flare*, germ. *blasen*; lat. *flos*, bat. *blœssen* (4).

Idg. B = Germ. P (Ahd. P, Pf, F.). — Lat. *labium*, germ. *lippe* (5).

Non ita nova quidem de ea mutandarum consonantium ratione, quam nunc alteram *Lautverschiebung* vocant, Morhofio afferre licuit. Namque inter se tum vocalibus, tum potissimum consonantibus longe differre inferiores et superiores Germaniae vernaculas linguas Germanus quisque jam inde a remotissimis temporibus plane noverat, et Aventino in priore XVI[i] saeculi parte describere primum suscipienti, quibus rebus utrumque dialectorum genus ab altero discreparet, nihil jam aliud necesse fuerat, quam ut quae quasi publici essent juris colligeret et his verbis ex ordine enumeraret : « *Ph* sprechen die Hochteutschen grob aus, als wers *pf*; die Sachsen wie die Griechen recht als denn seyn soll. Niederlænder brauchen *p* allein, wo das Oberland *pf* hat, *Paltz*, *Pfaltz*, *Pferdt*, *Perdt*, *Pfaff*, *Paff*... ; *t* haben die Sachsen wo die andern Teutschen *s* haben, nach dem griechischen Brauch, *Wittenberg*, *Weissenberg*, *Watter*, *Wasser* » (6). Eamdem insuper conditionem germanicis dialectis antiquissimis temporibus fuisse vetera in dies magis ac magis effossa documenta docebant et, exeunte eodem saeculo, Pancratius Castricomius in Observationibus suis *Willerami* libello, quem Merula edendum curaverat, praemissis animadvertebat, in sermone *Althochdeutsch* dicto *th* et *z* occurrere, cum inferiores dialecti *d* et *t* exhiberent et, exempli gratia, superiori voci *thicco* inferiorem *dicke*, superiori *suoze* inferiorem *suote* respondere (7).

Sed de istius discrepantiae origine inter eruditos multo minus

(1) *Unt.*, 145-146.
(2) *Ibid.*, 119.
(3) *Ibid.*, 308.
(4) *Ibid.*, 118, 114.
(5) *Ibid.*, 146.
(6) Ap. Raumer, 23.
(7) *Ibid.*, 93.

constabat, de hoc tantum consentientes, ut vel superioribus, vel inferioribus dialectis corruptelam quamdam irrepsisse suspicarentur. Sic existimabat Kircherus, a Morhofio quidem in eo graviter reprehensus (1), germanicam linguam eo corruptiorem apparere, quo altius in septentriones tenderet via. Alii contra, ex inferioris Germaniae partibus oriundi et patriae inferioris dialecti amore capti, contendebant inferiorum sermonum consonantes vere primigenias esse reputandas nec nisi postea apud superiores esse mutatas; rectius quidem opinati, nisi hanc mutationem superioribus dialectis crimini dare et inde argumenta ducere voluissent, quibus commendaretur inferioris dictae *niederdeutsch* linguae prae communi, quem *neuhochdeutsch* appellant, sermone usus. Quam sententiam acerrime defendentibus Laurembergio et Micraelio ipse Schottelius non multum aberat quin plane assentiretur. Ratus enim casu tantum et libidine inferiorum dialectorum litteras *t* et *d* in *zz*, *tz*, *sz* apud superiores converti potuisse, hoc novum dicendi genus Otfridi, Willerami ceterorumque ejusdem saeculi scriptorum arbitrio impositum esse censet. Namque illi, ait « als Anfængere des alten Frænkischen (hernach per secula nachgerade ausgeschliffenen, und genanten Hochteutschen) dialecti, sich des *zz*, *tz*, *sz* an stat des *t* oder *d*, wie auch *on* und *an* an stat *en* und derogleichen haben angefangen sich zu bedienen, und, dem eusserlichen Laute nach, vielen Teutschen Worten eine mehr fliessende, zischende Art, und nach ihrer Meinung besseren und hœheren Klang, und also eine Hochteutsche Ausrede beginnen zu geben, da hergegen die alten Sachsen ihre alte rechte Ausrede, Ausspruch und Andeutung der Wœrter behalten » (2),

Morhofio igitur, argumentum post tot alios tractanti, nihil jam reliqui erat, nisi ut manifestam rem ipse quoque notaret, singula huc pertinentia ex ordine enumeraret, falsa inde ducta argumenta redargueret, quo impulsu et quibus causis re vera haec consonantibus contigisset mutatio ostenderet, denique moneret quantum vel ad inquirendas etymologias, vel ad describendos in certas classes universos Germaniae vernaculos sermones interesset, ut hujusmodi

(1) Cf. *Unt.*, 50.
(2) *Ausf. Arb.*, 152.

mutationum ratio sedulo observaretur. Quo quidem officio quam diligenter sit functus, supra jam enumerata luculenter satis docere existimaveris (1).

Quemadmodum autem nova et certa multa, pro tempore sane non contemnenda, Morhofius de utraque, quam postea communi nomine *Lautverschiebung* appellaverunt, mutandarum consonantium ratione exposuit, ita ad alias quoque quasdam consonantes intenta animi acie, quae singulis earum conversiones contigissent, ubicumque copia erat, explicare tentavit. Velut animadvertit, aut graecum digamma interdum cum germanica littera *w* congruere : gr. ἔργον, germ. *werk* ; gr. οἶνος, germ. *wein* ; gr. ἄειν, germ. *wehen* ; gr. ἕσεσθαι, esse, germ. *wesen* ; gr. εἴκειν, germ. *wiecken* (*weichen*), cedere ; gr. οὖλος, germ. *wolle* (2) ; aut spiritum asperum saepius latinae et germanicae litterae *s* respondere : gr. ὗς, lat. *sus*, germ. *sau* ; gr. ἅμα, got. *-saman* ; gr. ἅλς, germ. *saltz* (3).

Sed ad etymologias enodandas accedenti ita tantum feliciter cedere poterat, si observatae consonantium mutationes tam frequenti et constanti ordine deprehensae essent, ut ex collectis exemplis certa quaedam formula et lex posset constitui. Cum autem linguarum natura hoc ita comparatum sit, ut multae voces hinc illinc occurrant, quarum suas quaeque peculiares inflexiones experta sit, fieri non poterat, quin ad eas scrutandas accedens, deficiente, ut ita dicam, omni filo quod passus regeret, animo saepius frangeretur, et cum nulla appareret expediendi nodi probabilis ratio, vel proprio arbitrio indulgeret, vel ad translaticias istas « Regulas », quas ipse tamen implacabilius rejecisset. impetu quodam reverteretur, multasque perperam nunc ex externa vocum similitudine, nunc ex significationis congruentia, nulla jam adhibita norma, etymologias duceret.

Non est profecto negandum ei, pariter ac Leibnitio. saepius contigisse, ut, quasi naturali quodam instinctu et genuina prudentia ductus, multas voces temere satis adsimularet, quae tamen recen-

(1) Cf. supra Part. II cap. 4-6.
(2) *Unt.*, 144-145.
(3) *Ibid.*, 118.

tiores tamquam re vera ad eamdem originem referendas agnovere (1); quin autem eum, vel saepius vera suspicatum, laudibus extollamus, vetant rursus innumerae eadem ratione tentatae et plane insulsae etymologiae (2).

Hoc tamen in ejus laude ponere decet, quod, quamvis ad pravam antea usitatam inquirendi rationem interdum regressus sit, omnes etymologias constans respuit, quas tot illius aetatis eruditi viri,

---

(1) Ut sunt potissimum : germ. *aar*, lat. *arista* (Unt. 115); germ. *ale*, francogall. *alêne* (107); scand. *ar*, lat. *arare* (117); germ. *art*, gr. ἀρετή (114); germ. *arm*, lat. *armus* (145); germ. *bart*, lat. *barba* (143); germ. *krippe*, fr. *crèche* (107); germ. *ewig*, gr. αἰών, lat. *aevum* (115); germ. *gras*, lat. *gramen* (119); germ. *grau*, lat. *ravus* (118); germ. *wise*, *weise*, francogall. *guise* (107); germ, *haben*, lat. *habeo* (98); germ. *hosen*, francogall. *houseaux* (107); germ. *kohl*, lat. *caulis* (53); germ *licht*, lat. *lux* (120); germ. *mager*, lat. *macer* (118); germ. *mauer*, lat. *murus* (93); germ. *nacht*, lat. *nox*, gr. νύξ (120); germ. *ohr*, lat *auris* (139); germ. *plancke*, lat. *plancae* (53); germ. *kegel*, francogall. *quille* (107); germ. *rohr*, francogall. *roseau* (107); germ. *-saman*, gr. ἅμα (116); germ. *satt*, *sættige*, gr. σάττω (119); got. *sineigs*, lat. *senex* (137); germ. *sinn*, lat. *sensus* (93); germ. *speien*, lat. *spuo*, gr. πτύω, σπεῖσαι (145); germ. *wall*, lat. *vallum* (93); germ. *wie*, lat. *qui* (114); germ. *wurm*, lat. *vermis* (93). — His addere insuper liceat quasdam voces, quae, cum jam ab illo probabiliter sint explanatae, a recentiore doctrina tamen nondum plane explicantur : germ. *burg*, gr. πυρός (93) (sic in tribus *Institutionis* editionibus; profecto legendum est πύργος; de quo cf. Fick, *Vergl. Wœrterbuch der indogerm. Sprachen*, 3. Aufl., II, 421); germ. *eisen*, lat. *aes* (56); germ. *borg*, lat. *porcus* (93); germ. *delff*, lat. *dalivus* (36, cf. Bréal, *Mém. de la Soc. de Ling.*, VIII, 50-51); germ. *hand*, lat. *praehendere* (142); germ. *lend*, lat. *lumbus* (145); germ. *nutt*, *nuss*, lat. *nux* (119); germ. *volk*, lat. *volgus*, *vulgus*, (138).

(2) E grege quaedam : germ. *darm*, gr. δερμός (145); germ. *fallen*, lat. *fallere* (35); germ. *foeder*, *voer (futter)*, gr. βορά (119); germ. *frost*, *frieren*, lat. *frigus* (120); germ. *gabel*, francogall. *gaule* (107); germ. *hemd*, gr. ἱμάτιον (115); germ, *hohn*, lat. *honos* (55); germ. *küchlein*, gr. κιχλή (118); germ. *loch*, lat. *locus*, gr. λόγος (93); angl. *lord*, lat. *lartes* (121); germ. *lügen*, gr. λέγω (119-120); germ. *maid*, *maedchen*, gr. Μαῖα, lat. *Maja* (137); germ. *nass*. gr. νῆσος (139); germ. *riemen*, francogall. *rênes* (107); germ. *rinnen*, gr. ῥῖν (139); germ. *salben*, gr. ἀλείφειν (115); germ. *scheere*, gr. χείρ (142); germ. *scherge*, francogall. *sergent* (107); germ. *thræne*, gr. θρῆνος (147); germ. *thüre*, gr. θύρα, lat. *obturare* (93); germ. *tuch*, gr. τεύχω (56); germ. *wirth*, lat. *vir* (131).

inter quos prae ceteris Leibnitius est citandus, ex analogismo ducere conarentur; praecipue autem ab eorum insania abhorruit qui multarum recentiorum vocum originem lectis retrorsum hebraicis vocabulis explicare non dubitarent (1).

Ceterum, petitis a metathesi argumentis, vix semel ei contigit, ut probabiliora quaedam afferret (2), cum contra permulta longissime abhorrrentia vocabula promiscue commiserit (3). Nec multo magis ei processit, cum epenthesim in auxilium vocavit; quamquam enim hinc illinc nonnulla vocabula aequiparavit, quae quoquo modo quidem, nequaquam autem epenthesis ope, inter se comparanda essent (4), totum rursus agmen etymologiarum absurde omnino inde petitarum apud eum reperias (5).

De aphaeresi contra et prosthesi disserens, etsi nonnunquam in errore versatur (6), longe plura tamen cum vera rerum natura magis congruentia enuntiat. Velut hoc perspexit, in graeca lingua vocalem saepius vocabulis praeponi, quorum radices integrae et ab omni prosthesi immunes in latino et germanico sermone perstiterint (7); pluraque pariter exempla, quae de aphaeresi proponit, recentioribus plane comprobanda videri potuerunt (8), licet interdum quasdam

---

(1) Cf. *Unt.*, 127 et passim.

(2) Lat. *stercus*, germ. *dreck* (*Unt.*, 118. — Cf. Corssen, *Critische Beitraege*, 81 et *Critische Nachtraege*, 120-121).

(3) Exempli gratia : germ. *arendt*, gr. ἄνταρ (116); lat. *dormire*, germ. *dromen*, *træumen* (118); germ. *erde*, lat. *terra* (116-117); germ. *lief*, *lieb*, gr. φίλος (118); germ. *veltragge*, lat. *vertagum* (117).

(4) Cf. germ. *art*, gr. ἀρετή (114); germ. *kron*, lat. *corona* (115), etc.

(5) Cf. germ, *gems*, gr. κεμάς (114); germ. *hemd*, gr. ἱμάτιον (115); germ. *kouten*, gr. κωτίλλειν (115); germ. *salben*, gr. ἀλείφειν (115), etc...

(6) Cf. de aphaeresi : germ. *haat*, gr. ἄτη (116); germ. *schwelle*, gr. βηλός (116); germ. *schwœren*, lat. *jurare* (116), etc...; de prosthesi : germ. *reiben*, gr. τρίβειν (114); germ. *reichen*, gr. ὀρέγειν (114); germ. *gut*, gr. ἀγαθός (114); germ. *kant*, gr. ἄκανθος (114); germ. *kost*, gr. ἀκοστή (114), etc...

(7) Cf. germ. *roth*, gr. ἐρυθρός (114); germ. *stern*, lat. *stella*, gr. ἀστήρ (114); got. *than*, gr. ὅταν; germ. *name*, lat. *nomen*, gr. ὄνομα (114).

(8) Cf. *Unt*; 116 : germ. *gans*, lat. *unser*; germ. *schleim*, lat. *limus*; germ. *schnur*, lat. *nurus*; germ. *gruss(e)*, lat. *rudus*; germ, *grau*, lat. *ravus*. — De etiamnunc controversa aphaeresi primitivae litterae *g* aut *gh* in verbis *rudus* et *ravus*, cf. Corssen, *Ital. Sprachkunde*, 101.

voces aphaeresim in latina lingua passas esse existimet, quae re vera in germanica prosthesim expertae sunt (1).

Hoc enim ei neque suppetiisse, neque pro temporum ratione suppetere potuisse fatendum est, ut vel conjectura auguraretur, qua vice per singulas linguas quasi decurrentia vocabula tot et tantas mutationes essent experta, quo ordine, si potissimum utramque inflectendorum verborum rationem respexeris, quae *Lautverschiebung* dicitur, voces quaeque sive in latina aut graeca lingua, sive in germanicis sermonibus varias formas induissent, qua demum vicissitudine aut quo continuo vinculo conjunctae diversae linguarum species essent reputandae, quas inter se comparare, ne dicam, inter se opponere decreverat.

Quae quidem vitia, ut silentio nequaquam licet praetermittere, ita mancae adhuc et inchoatae tantum illius aetatis doctrinae multo magis quam ipsius Morhofii imperitiae imputare par est. Has autem leves de singulis quibusdam rebus maculas leniore nec non aequabili sane animo excusanti atque uno complexu universam ejus inquirendi rationem intuenti facile apparet, quam nova et ad condendam firmius etymologicam disciplinam apta excogitaverit ac constituerit.

Primus enim illa aetate, ac fere solus (nam singula tantummodo quaedam, quae jamdudum enuntiaverat Morhofius, a Leibnitio multos post annos carptim iterata esse vidimus) intellexit, linguarum informationes, augmenta, mutationes haud aliter ac cetera quae ex rerum natura pendent, certis et definitis quibusdam legibus regi; prave prorsus eos hactenus fecisse, qui in investigandos sermones et explicandas vocum origines, nulla alia quam libidinis et arbitrii norma adhibita, incumberent; hoc contra potissimum esse studiosi cujusque officium, ut eas leges primum detegeret, praecise describeret, ordine disponeret, postremo constitutas jam indagationis duces sequeretur; etymologicen igitur, ut propositum assequi posset, recta et ordinata inquirendi ratione primum esse instruendam.

Primus etiam, quae subtiliter animo perceperat, ea ad effectum continuo adducere conatus, ostendit novam inquirendi rationem ita

(1) Cf. *Unt.*, 116 : germ. *stier*, lat. *taurus*.

esse condendam, primum ut eam scrutandi viam inirent studiosi linguarum viri, quam magno rei commodo jamdiu rerum naturalium interpretes ingressi essent, dein ut cujusque linguae, cum per saeculorum decursum, tum in singulis dialectis consideratae, historica explanatio susciperetur; quo quidem instituto ipse statim usus praecipuas patefecit leges quibus linguas formari, augeri, inflecti constaret.

Primus denique, etsi in ea re, ut vidimus, proprii praecepti interdum oblitus, optimis exemplis non semel significavit, quanti esset momenti ad enodandas etymologias nixa duplici experientiae et historiae fundamento indagatio. Merito igitur ei contigit, ut illam ab eo primum institutam investigandi rationem, in singulis (quid dicam?) valde explicatam, emendatam et auctam, in summa tamen integram, post duo fere saecula, recentiores nostrae aetatis grammatici iterum susceperint et plane suam fecerint.

PARS IV.

QUAM CURAM MORHOFIUS AD LINGUAM GERMANICAM CONTULERIT.

CAPUT I.

QUIBUS DIVERSIS RATIONIBUS MORHOFIUS ET LEIBNITIUS REFORMANDAE LINGUAE GERMANICAE OPERAM SUSCEPERINT.

Posquam germanicae linguae debitum jus ab aliis sermonibus exegerat et eruditissimum quemque in Germania docuerat, antiquitate et dignitate minime imparem esse linguam suam reverendissimis, si quae fuerant apud veteres, dialectis, Morhofius inde, ante omnes, etymologiae praecepta deduxerat et veram, nostra demum aetate comprobatam, historicae investigationis rationem inchoaverat.

Quod ei agendum supererat, id eodem modo absolvit, ea praecepta adhibens ad promovendum linguae poesisque germanicae studium et in melius mutandam notitiam.

Atque in primis historiae legibus in toto opere usus, conspicuum doctrinae dedit documentum, litterarum descripta historia, quod in secundo *Institutionis* libro notandum est ; quae operis pars, quamquam ab incepto nostro paulum aberrat, accuratius tamen respicienda esse nobis videtur, cum mire cum tota ejus ratione et

doctrina congruat et a doctissimis quondam viris, talia mirantibus, insignita sit.

Namque tum demum exstitit auctor, humanissimus tamen inter omnes, qui, scholasticae tritiorem aspernatus viam et solitas docendi formas, postquam primo historicum recentiorum litterarum studium inter academicas disciplinas adsciverat, inde eruta documenta politiori aestimationi immisceret, atque abstrusae hactenus disceptationi, ab Aristotelis discipulis et latinis interpretibus traditae et reverenter in omnibus doctorum virorum consiliis acceptae, rerum indagationem et experientiae praecepta strenue substitueret.

Eo magis autem innotuit inceptum, quod vere nova perfecerat Morhofius; non enim modo recensionem a nullo tentatam susceperat, sed etiam quid esset litterarum historia, quantum prodesset illustrandis quaestionibus et fovendo ipsius germanicae linguae studio, peculiari et gravi stilo disseruerat, exemplo praeceptum confirmans et jam dilucidis verbis colligens, quem ad finem et quà via tenderet haec enascens doctrina, quae tantum mox valuit in nova quaque rerum investigatione, in artium scientia, scilicet in « aesthetica ».

Minus quidem nova grammaticae et poetices studio incumbenti reperire dabatur; quae tamen difficiliora fortasse eo majore gratia consequens haud minus opportunus aut subtilis esse videbatur.

Namque is erat opinionum status eo tempore, quo in vulgus *Institutio* edebatur, ut Morhofium, pro quieta ejus prudentique indole, nec non maturo et aequabili ingenio, deceret, in omnibus pendentibus controversiis moderatoris praecipue partes suscipere.

Cesserant profecto illa aetate vehementes et immodici auctores, qui sponte quondam linguam poesimque in totum restituendam susceperant, quamquam tum etiam Caesius et Lohensteinius summa valerent gratia, usque ad ultimos illius saeculi annos doctrinarum suarum memoria duraturi. Sed cum ea, quae stulte et insolenter finxerant, sanioris cujusque viri animum alienavissent, fieri non poterat quin ipsi quoque viri finem et modum transirent, qui talia somnia impugnare decrevissent.

Primus commutandae sententiae auctor Schuppius et, paulo post, moderatior quidem, sed non segnior Weisius fuerat, atque recenti

studio fervebant novae opinionis fautores. Hi quidem prima specie increpantes quae grandiloquo sermone delirarent Lohensteinius et Hoffmannsvaldavius eorumque sectatores, vel quae insulse ac putide composito motu canerent Harsdœrfferus et Pegnesienses Pastores, vel quae stulte somniaret Caesius, sese jactabant ut qui poesim cum integra rerum natura componerent et ad simplicem veramque mentis atque sermonis effigiem scriptores revocarent.

Cum autem affirmarent, « res ita esse depingendas, ut apparerent et perciperentur » (haud aliter enim loquitur ipse Weisius), utrinque in pejus erant lapsi.

Namque hinc omnem eximiam fingentis ingenii formam et si quid contigit poesi oblectamenti delebant, carminaque ad solutam orationem aut inferius abjiciebant; illinc, grammaticae integritatem laedentes (usque eo enim effertur Schuppius) (1) et omnem sermonis elegantiam aspernati, linguam atque poesim vulgari tractabant usu, quarum alteram inficetiis et rusticitate, alteram inhumanitate et vilitate maculabant.

Quibus ut auxilium daretur in posterum, necesse erat auctoritatem ultimorum, qui Lohensteinium, Caesium gregalesque sectabantur, funditus discuti; infirmas autem adhuc, sed non ideo minus perniciosas erui doctrinas illorum virorum, qui se simplicis et ad verum expressae naturae advocatos gerebant; viam praesertim aperiri, et opinionum dimidio jam exacto saeculo concurrentium tumultu servari si quid sani rationique congrui Opitius ejusque optimi discipuli emisissent; quod, firmius constitutum, principium fieret, unde tandem progredi ac proficere lingua poesisque possent.

In eo quoque incepto, ut in linguarum et etymologiae studio, inter se consentire Morhofio Leibnitioque contigit. Quod enim ille in ultima *Institutionis* parte agressus erat, Leibnitius, quindecim annis exactis, postea sibi assumit in libello *Unvorgreifliche Gedanken*. Rursus igitur, et optimo jure, opera ambo videntur inter se esse conferenda, et hic majori etiam cura, quam ubi de summa linguae aut etymologiae doctrina agebatur, aliquo certe consensu inter eos de ejusmodi studiis jam tum comperto.

---

(1) Cf. Grücker, p. 206 et 363.

Quae imprimis pro patria lingua pari amore et ingenio instructi sentiebant, eadem nunc ambos impellunt. Uterque, ut infra apparebit, similibus prope verbis, contemptum esse gentilem sermonem et corruptum dolet, atque iisdem fere remediis sanandum esse censet.

Uterque insuper quid absolvendum esset eodem fere consilio cogitavit, inauditis se minime jactans praeceptis aut insolentes recitaturus de arte poetica, post toties jam in Germania ab ineunte XVII° saeculo de hac doctrina editos, commentarios. Modestius enim simulque excelsius tentabant inceptum, cum veteribus obsoletisque contreversiis purgare vellent quidquid novi et inconcussi viam historiae, experientiae et sanae mentis ingressi viri auderent; ac summum illud sibi munus describebant, ut vel fontes indicarent, unde meliora hauriri possent, vel, ut ita dicam, instrùmenta ostenderent, quibus in ingenti restituendae germanicae linguae et promovendae poesis labore utendum esset, vel ipsos monstrarent ab omni parte colligendos auxiliares, ac, si res posceret, ad communem operam compellerent et excitarent.

At similia cupiens prospiciensque, suopte tamen uterque ingenio et peculiari ratione eadem amplexus est. Itaque Leibnitio praecipue placent, inchoata vix emendatione, philosophica praecepta, quae in rerum contemplatione versantur et descriptione conspicua, ne fictione dicamus; apparentque statim variae institutiones ac multa proposita, luculenter quidem explicata et valde idonea ad curandam labem ; minus autem probatur quae in actione versatur philosophia, et docentis ipsius adversus vitia opus aut saltem arbitrium desideratur.

Morhofius contra, minora quam Leibnitius affectans, quae adire fortasse non ita concessum ei erat et rerum universitatem amplo philosophi ingenio patentem praetermittens, quaestionem potius ad philologicas et usu quotidiano tractatas rationes revocat. Quid tum sit de patria lingua, quid in posterum sentiendum ac sperandum, clarius et utilius quam Leibnitius introspicit, exponit, concludit. Namque non solum quae sit petenda via ostendit et quo progressu ea metienda, sed etiam, eruderatam primo incursu ipse ingressus, incedendi modum manifestat exemplo magis quam praecepto ; ne plura, remonstrando, probando, agendo, nec, ut alter, consiliando, optando, hortando, docet.

CAPUT II.

DE CONTROVERSIIS AD LINGUAE GERMANICAE GRAMMATICAM SPECTANTIBUS QUAE FUERIT MORHOFII SENTENTIA.

Ac primum quam dispari animo et dissimili consilio opus ambo suscipiant, jam ipsa ratio demonstrat, qua uterque res grammaticas tractandas aggreditur.

Leibnitius enim disertis quidem verbis praedicat, quantum intersit, ut absoluta demum linguae germanicae detur grammatica, et ostendit eam aeque peregrinis profuturam, linguae germanicae asperitate saepius taedium capientibus, ac Germanis ipsis, patrium sermonem, si verum faterentur, plerumque consuetudine magis quam doctrina usurpantibus. De multis eo pertinentibus ita disputat, ut quasi sponte in mentem veniant, quae de eadem re Fenelo in *Epistola ad Academiam* (1) haud ita multo post proposuit; locupletissimis certe exemplis demonstrat, necessarium esse ejusmodi enchiridion. At, cum jam eum medias in res incessisse credideris, cum jam ad id venit, ut singula quaeque grammaticae praecepta perlustraturus videatur, atque, si exemplum afferre licet, de genere verbi *Urtheil* disceptare cœpit, subito se subducit, et, controversiam dirimere haud utile fortasse arbitratus, solemni tantum invocato versu : « Non nobis inter vos tantas componere lites », judicium postremo illi doctorum in grammatica et litteris virorum sodalitio ferendum tradit, quod... postea instituendum commendat et optat (2).

---

(1) Quot et quanta Feneloni et Leibnitio communia sint, quod ad conficiendam grammaticam et concinnanda lexica pertinet, multi docent inter se collati loci in *Lettre à l'Académie*, III, Projet de grammaire et *Unvorgreifliche Gedanken*, § 102-109.

(2) *Unvorgreifliche Gedanken*, § 108-109.

Morhofius quoque recte intelligit, quantam utilitatem perceptura esset lingua germanica ex docto et ad justam recentioris doctrinae normam conformato grammaticae compendio, sententiamque abunde comprobat, ordiens atque, ut severo, ita aequo arbitrio dijudicans quidquid de ea re inde ab antiquissimis temporibus in Germania sit tentatum (1); nam, sicut Leibnitius, a Carolo Magno principium repetit (2). Satis autem non habet, generali tantum assertione et luculentis eximiisque verbis vota fecisse; rem statim aggreditur, in verborum tenuitatem descendens, quae in singulis corrigi possint ostendens, quae omissa sint indicans, nova et puriora irrogans, multa denique inveniens posteris mox probanda.

Eo instructus animo controversias primum de orthographia adoritur. A primis tamen usque ad ultimas litteras opusculum *Unvorgreifliche Gedanken* evolvere possis, nec ideo animadvertas ea aetate ut hodie de illa vehementer esse disputatum, atque in XVII° saeculo haud aliter ac in nostro (3) acerrimas inde ortas esse contentiones, variasque disciplinae formas esse institutas, quae plerumque non minus a recto rerum sensu, quam a moderatione abhorrebant.

Quas quidem cavillationes (Grübeley, ut ait ipse) non tanti aestimabat Morhofius, vel earum studiosis ac solidorum voluminum auctoribus aliquo modo indulgens (4); at alios monstrat esse fontes, unde renovetur lingua, et uberiores et utiliores. Pugnandum tamen cum novarum rerum fautoribus, ut stultae audaciae periculum detrectetur (5). Namque putat, ut alii boni viri, scriptoribus hoc praesertim solemne esse debere, ut linguae reverentiam praestent, et eam in primis a quadam orthographiae obtemperatione incipere, qua negata verba tantum in deformem adspectum corrumpantur,

---

(1) *Unt.*, 448-458.

(2) Cf. *Unt.*, 454 et *Unv. Ged.*, § 103.

(3) Quindecim in controversias collatis annis, Berolinense consilium nuper litem eatenus dirimere potuit, ut de orthographia tractatum ad scholarum regni Borussici usum promulgaret; at revera nodum nullo modo expedivit, nec ullum invenias inter viros doctos, qui, vel ad summam, vel in singulis, ejus decreta accipiat.

(4) *Unt.*, 476-477.

(5) *Ibid.*, 467.

quod subibat eo tempore lingua discrimen. Tanto enim, inquit, studio mutandae vocabulorum formae nonnulli paucis abhinc annis fervent, ut obsoleta quaedam et depravata exstiterit orthographia, qua « a se ipsa discrepet lingua, quibusdam ratiunculas nescio quas tanta indulgentia amplectentibus, ut quae scribant ex alio orbe advecta videantur » (1).

Illo autem tempore, haud secus atque hodie, duae potissimum rationes, e discordantibus sententiis delineatae, primas tenebant partes, inter se repugnantes.

Alteris enim ab etymologia omnino pendere orthographia videbatur; in quam sententiam, si pauca excipias, prae ceteris, Harsdœrfferus et juxta eum totum Pegnesiensium Pastorum pecus cunctique Norimbergensis Scholae gregales concurrebant, eo usque ipsa argumentandi ratione libenter progressi, ut superioris germanici sermonis recentioris auctoritatem respuerent et ab antiquissima linguae germanicae specie intermissas exoletasque verborum formas repeterent atque in usum revocare non dubitarent (2).

Nec sine aliquo jure, si linguae fontes tantummodo spectes ; nulla enim commodiore simul et rectiore doctrina in unum et cohaerens corpus coarctari et praefiniri posse videtur lingua, quam si unam admiseris in transcribendis vocabulis regulam, nempe etymologiam; et, adhibita ejus auctoritate, facillime primo adspectu credideris purgari verba inutilium litterarum congerie, quas temporis praeteriti ignorantia aut error quasi certatim exstruxit. Nihil vero inanius, et, si ad rei usum et tractationem procedas, fallacius atque inconstantius, ut Morhofius haud aegre demonstrat.

---

(1) *Unt.*, 476. — His Morhofius praecipue impugnat Plempii, Caesii et Bellini orthographica somnia, quorum mox fusius mentio est facienda (cf. *Unt.*, 471, 477, 523).

(2) Cf. Harsdœrfferi *Specimen philologiae Germanicae* (Norimbergae, 1646, in-32), Disq. X, p. 207 sqq. — Specie quidem ille concedere videtur ad *consuetudinem* orthographiam esse conformandam. At quae illa sit *consuetudo* haud per ambages declarat nullamque nisi *eruditorum* consuetudinem agnoscit, quorum hoc esse summum munus censet, ut nitantur « vulgo indoctorum rectam scriptionis normam persuadere » (Disq. X, p. 206 ; cf. Disq. I, p. 13). — Ad simile quoddam cadit ipsa J. Grimmii orthographica ratio.

Namque hoc merito in primis animadvertit, non constare inter omnes de multarum vocum etymologia; unde fiat, si totam ab ea rem pendere concedas, ut quisque ad varias a se receptas etymologias suam scribendi rationem sit flexurus. Tum vero necesse est mutentur verba, quoniam lingua ipsa continuo motu formas suas inflectit, nec diu manent vocabula cum radicibus, unde orta sunt, consonantia, attrita usu in dies sonorum pronuntiatione.

Morhofius gravissima ibi colligit argumenta, quibus quaevis orthographiae ratio semper refellenda erit, quae sola etymologiae auctoritate nititur, et, allato Butschkii exemplo, optime demonstrat eo modo pro licentia parem tantum subjici licentiam. Cum *dœmüthig* pro *demüthig* Butschkius ob eam solam causam scribendum esse affirmat, quod adjectivum illud a vetere superiore germanica voce *deomuat* sit oriundum, non est profecto cur tam recte progrediens pedem referat, et eum aequo saltem jure eo usque processurum existimaveris, ut totam verbi repetat etymologiam et singulas pristinae formae vocales in integrum restituendas contendat (1). Namque ad id, re bene considerata, eos evadere necesse est, qui, vetustissima verborum elementa revocantes, primigeniam vocum formam redintegrare se credunt, qualem exacta noverunt saecula, nullus autem recentiorum temporum homo aut enuntiare, aut transcribere, aut saltem intelligere valeret.

Quo tamen profectu? Ut usurpatas ab omnibus voces quasdam deleas aut corrigas, quas tamen quotidianus sermonis usus quasi consecravit. Quantum enim interest vulgari eloquio utentibus *Mensch* a *Mann* derivari, cum omnes *Mensch* pronuntient et idem scribant, nec *Mænsch*, ut isti volunt, inutili linguae distinctione (nam acutius ille profecto audiret, qui inter *e* et *æ*, enuntiato hoc vocabulo, discrimen faceret), inutili quin etiam etymologiae (nam, quoquo modo verbum transcribetur, vocis *Mensch* origo non ideo minus certa apparebit)? (2)

Neque magis usu probanda consequuntur, qui omnes more usitato et consuetudine traditas orthographiae formas summatim rejiciendas

(1) *Unt.*, 470-471.
(2) *Ibid.*, 468-472.

putant, et uno impetu supervacaneas, ut credunt, litteras e vocabulis expellunt, nulla nisi soni in scribendo admissa norma. Quod maximam partem affectabat Caesius, nec non, inter Frugiferos, « phoneticae etymologiae » studiosissimus quisque, velut Theodericus von dem Werder, qui id primum exposcebat, ut omnes inutiles litterae, praecipue consonantes, extererentur (1), aut Guendtius atque ipse Ludovicus princeps, qui totam orthographiae rationem ad hoc praeceptum redire arbitrabantur : « Ut loqueris, scribe ». Hanc opinionem, ut notum est, vicissim Klopstockius et Adelungius XVIII° saeculo rursus, non feliciore quidem eventu, refovere conati sunt, ne ad recentiora novissime eadem et audacia et inanitate tentata descendamus.

Haec vana iterum Morhofius haud aegre refellit et ad pessimas ineptias necessario tendere demonstrat; confusa enim omnia, nedum expedita, inde fierent. Namque, ut loqueretur quisque, ita scribens cuncta sermoni suo peculiaria, immo oris sui vitia, calamo depingeret. Certe hac effrenatae cujusque libidini concessa potestate mox corrumperetur, aut potius extingueretur politior lingua, ac cito rumperetur exile illud vinculum, quo hactenus in Germania docti viri vix inter se conjunguntur.

Quemadmodum enim diversarum Germaniae regionum incolae adeo dissimilibus jam utuntur dialectis, ut ejusdem patriae cives saepius alii ab aliis non nisi aegre intelligantur, quin etiam interdum omnino diversas linguas usurpare videantur, ita facile eveniret ut nulla mox perstaret inter viros doctos communis loquendi norma, omnium commercio tamen necessaria, sed tot orirentur dicendi et scribendi rationes, quot invalescere possent in quaque regione dialecti vel in vulgo corruptae vocum pronuntiationes, ob uniuscujusque licentiam proximo cuique perobscurae. Inde postremo dialecti omnes reviviscerent, quarum nonnullae ita rudes atque informes sunt, ut nunquam liceat illis in scripta oratione ullum concedere locum. Morhofius igitur, Baconi assensus, his britannici philosophi verbis perorat : « Illa scriptio, quae formata

(1) Krause, 173 sqq.

videri possit, ut pronuntiationi consona sit, est ex genere inutilium subtilitatum » (1).

Ceterum, inquit rursus Morhofius aeque perspicuus sanusque, utrumque modum pone et scribendi rationi et communi omnium usui congruere posse, quo tandem caderent hujusmodi novae subtilitates, nullo, ut periculum est, fine circumscribendae, nullo mox coercendae freno et ad id tantum idoneae, ut peregrinos atque ipsos Germanos, deformata linguae quasi facie, perturbent et confundant. Et apud Francogallos haec aliaque ejusdem generis edita et tentata sunt; at in risus evaserunt (2), nec absimilia sectatus apud Batavos Plempius in inepta tantum delapsus est (3).

Commodius igitur et, quod ad communem utilitatem pertinet, longe aptius intra solitae orthographiae fines consistendum, quae saltem eo jam praestat ceteris scribendi rationibus, quod per se constat, ab omnibus discitur, laboris proprii paene insciis, et in quotidiano commercio, sponte velut accepta, versatur. Itaque Guendtio et Ludovico principi Morhofius hic assentitur, qui, vel phoneticae orthographiae faventes, receptam a plerisque in Frugifero Sodalitio sententiam, « Ut loqueris, scribe », altera cauti emendabant, a Morhofio pariter laudata : « Loquendi normam ponit usus, non usum norma ». Memorare vix necesse fuerit, Schottelium, utpote linguae eruditum et tenacem tyrannum, nec quidquam aliud unquam molitum, quam ut eam abstrusioris doctrinae vinculis cohi-

---

(1) *Unt.*, 475 ; cf. 469 et 480. — Quae turbide et seditiose de orthographia enutiavit Schuppius, hic obiter memoravisse sat erit, propter ipsam opinionis intemperantiam verborumque asperitatem et omnis orthographicae rationis contemptum respuenda quidem, sed eo perniciosiora, quo gravioris, sincerioris disertiorisque viri auctoritate nitebantur ; vix enim illa aetate alterum invenias qui subtilioribus argumentis et meliore judicio omnes docendi rationes emendandas et latino sermoni in litterarum usum linguam germanicam substituendam esse probaverit. — Weisius autem, minori quam Schuppius audacia fretus, postquam socordius et quasi contemptim notavit « haec omnia minimi esse momenti », ambiguus ac leniter subridens contentioni tantummodo incuriosi spectatoris instar adest. Cf. quae Gelanoris scribae eveniant in Cap. XI fictae historiae, cui titulum dedit *Die drei ærgsten Narren.*

(2) *Unt.*, 475-476.

(3) *Ibid.*, 465.

beret et juxta eruditorum decreta informaret, usui semper omnia pervicaci animo negavisse, nec tantulum quidem ab ea opinione discessisse, agitata diu cum Guendtio de re controversia (1).

Minime tamen in eorum numero reponendus est Morhofius, qui, vana superstitione imbuti, orthographiam quasi inertem immobilemque servandam esse censerent; immo neminem invenias, qui libentius fateatur, continuo linguae processu, in dies inter orthographiam et usitatam verborum pronuntiationem sensim quidem, sed necessario et perpetuo crescere dissimilitudinem, nonnulla igitur interdum esse prudenter mutanda, si modo velis inter utramque justam tueri concordiam ; et hujusmodi mutationes non modo licitas et innocuas, sed etiam necessarias et utiles esse, dum eae raris tantum intervallis atque observata semper moderatione adhibeantur, ut ipse his cautis verbis monet : « Aber es muss eine Maass darin sein, und allezeit ein Auge auff den gemeinen Gebrauch gerichtet werden »(2).

Magno cum profectu, ut exemplum afferatur, nonulla vocabula onere quarumdam litterarum levare possis, quae aut pravo more admissae sunt, aut, etymologiae legibus servatae, supervacaneae tamen procul dubio habendae sunt, cum nullius ore proferantur. Ita est, prae ceteris, de littera *h*, quae non solum in multorum verborum prolatione minime sonat, sed saepissime ob eam solam nec non falsam causam adjicitur, quod hoc incremento significetur anteriorem vocalem longam esse (3).

Constat quidem de hac quaestione non tam facile revera dijudicari posse, quam Morhofio videtur ; qui saltem optimo jure in vitiosam invehitur consuetudinem, qua tot perperam arcessitis litteris jamdudum scatebat orthographia, voces deformantibus, scripturam intricantibus et ad id tantum idoneis, ut obscurior fieret controversia ac difficilior, si qua tentaretur, emendatio ; non insons profecto in hoc ipse, cum praecepto magis quam facto illa docuerit nec pauciores in opera sua, quam aequales, litteras *h* profuderit.

Hoc tandem linguae pessimum afferunt detrimentum isti rerum

(1) Krause, 241-301.
(2) *Unt.*, 467.
(3) *Ibid.*, 471.

grammaticarum novatores, quod, dum student pronuntiationi orthopraphiam submittere, non modo utramque in pravum detorquent, sed etiam omni errorum generi, tum de etymologiae legibus, tum de ipsa vocabulorum flexione, viam ultro aperiunt, unde, si exemplum excerpere licet, probatissima quaeque negentur aut contemnantur praecepta de informando nominum plurali aut verborum infinitivo. Itaque non minus prave quam inutiliter scribunt *Menschschen* pro *Menschen*, *Sachchen* pro *Sachen*, *hebben* pro *heben*, *wedden* pro *weden* aliaque similia. Nam, nec in his enuntiandis vocabulis emittitur duplex, ut volunt, consonans littera, et quemadmodum egregie animadvertit Plempius, earum vocum pluralis numerus desinit in *-en*, non in *-schen* aut *-chen*, pariterque infinitivus modus in *-en*, minime autem in *-ben*, *-den* aut alias ejusdem generis formas. Falso igitur et inconsulte comprobatur a Claubergio ista scribendi ratio, quasi ex ea plane manifesta fiat « euphonia, volubilitas et vehementia linguae germanicae »(1).

Haud injuria certe his nugis occurrit Morhofius; at tota ipsa argumentorum serie, non secus ac Plempius Claubergiusque et ceteri, reus fit, qui omnino ignoraverit, quae sit vis tribuenda, quod ad formam et pronuntiationem vocabuli cujusque attinet, vel duabus consonantibus post vocalem aliquam positis, vel eidem consonantibus post vocalem bis repetitae. Quod ut perspicuum fiat, satis erit notavisse ab eo consonantis geminationem in vocabulis *legen* et *willen* pariter et omni discrimine remoto vituperari. Unde enim in hoc legitime oriatur, quam ob causam in illo contra vitiosa sit consonantis germinatio, minime est suspicatus; nec levissima quidem conjectura augurari videtur, eam a certis, phoneticis, si dicere licet, legibus pendere, de quibus enucleandis et definiendis etiam nunc, vix feliciore saltem eventu, laborare pergunt cujusdam ad unum redactae et, ut aiunt, normalis orthographiae fautores.

Quomodo autem in vocabulorum flexione littera *e* sit adhibenda, plerique, pergit Morhofius, nunc potissimum, eversa antiqua grammaticae doctrina vel potius consuetudinis auctoritate, minus firma et dilucida mente complecti videntur; quaestionem igitur in diver-

---

(1) *Unt.*, 471-475.

sissimas expediunt sententias. Namque hanc alii ex imperativo verborum modo et singulari quorumdam nominum dativo intempestive ejiciunt, unde asperior fit lingua (1); alii, praesertim in carminibus, Opitium imitati, multis vocibus adjiciunt, quibus ea non apte recipitur, vel mediis interserunt vocabulis, ut inde dactylus efficiatur; utrobique male sonare litteram necesse est (2). At illi prorsus contra omnes et etymologiae et euphoniae simul leges peccant, qui eam, ut voluit Schottelius (3), quasi pluralis numeri notam, nominibus in *-el*, *-er* desinentibus adjiciunt, ita ut scribatur *Vætere, Mahlere*; multo autem magis errant, qui de his vocabulis litteram *e* liquidae consonanti anteriorem detrahunt et scribunt *Vætre*, *Mahlre*. Quas inter formas, illae omnibus fingendi pluralis praeceptis repugnant, hae vero insuper tanta afficiunt asperitate pronuntiandi rationem, ut ea nostris auribus importuna et intolerabilis fiat. Similem ob causam vitandi sunt syllabarum coïtus, ut *sost* pro *so ist*, quibus abutuntur medii aevi scriptores germanici et nunc etiam, graviter infecta linguae modulatione, multi vernaculi sermones (4).

Haec et alia multa, minoris quidem momenti aestimanda et a nobis tacenda; ne longiores videamur, tenuia forsitan et minuta reputaverit aliquis; at Morhofio recte gravia videntur, quae ad reformandas litteras spectant, utpote artissimo nexu cum linguae emendatione conjuncta, nec sine jure censet auctor, ea protinus esse delenda, quae nimia quisque libidine et effrenato arbitrio grammaticae imponere meditatur, quo facilius postea et distinctius de controversiis agi possit, quae ad rem litterariam et aestheticam pertinent. Hoc enim sibi potissimum proponere eos decet, qui gentilem poesim affectant, ut primum gentilem linguam adipiscantur integram et omnibus expurgatam mendis, quas vel insanus peregrinorum sermonum et morum amor, vel inconsulta ipsorum reformatorum sedulitas quasi certatim exaggeravit. Ceterum commodius

(1) *Unt.*, 479.

(2) *Unt.*, 477-478.

(3) Hoc enim arte tenet Schottelius in ea, quam supra memoravimus, cum Guendtio instituta controversia.

(4) *Unt.*, 471-472; 478-479.

et firmius reprehenduntur et castigantur omnia simili licentia usurpata, quamdiu de iis tantum agitur, quae soli grammaticae competunt, et neganti vel affirmanti censori protinus ad documenta et testimonia confugere licet, quam ubi subtiliores tractantur de re litteraria aut aesthetica quaestiones, de quibus judicium magis ex proprio cujusque arbitrio pendet et suo quemque ingenio et studio liberius indulgere par est.

Postremo sibi Morhofius hoc summum imposuit munus, quemadmodum ipse in Praefatione Programmatis anno 1683 editi monet, non ut ab aliis dicta, et probe quidem, repeteret, sed ut « quae ab aliis omissa, vel leviter tractata sibi prae caeteris excolenda sumeret » (1); ubicumque igitur exactiori rerum notitiae justa deest explanatio aut necessaria videtur emendatio quaedam, ibi consistit nec ante progreditur, quam plane enucleata tota quaestio est. Et quam opportunae tunc fuerint istae, quas nonnulli primo adspectu forsitan minutas et tenues existimaverint, vel de informando plurali, contentiones, optimo sane exemplo demonstrat ipse Leibnitius; quippe qui, quoad vixit, incertus remanserit, utrum Morhofio grammaticae et consuetudinis auctoritate innixo, an Schottelio contraria affirmanti et nova suadenti assentiretur. Unde fit ut promiscue occurrant in ejus operibus, pari frequentia adhibitae, tum rectae, quae usus servavit, formae, sicut *Brüder*, *Kayser*, tum pravae, sicut *Brüdere*, *Kaysere*, in quibus saepius usurpandis Schmarsovius lucide comprobavit, eum sese Schottelio omnino obnoxium confiteri (2). De orthographia autem quidquid recte praescripserant vel Praschius, vel Morhofius ejusque compilator Omeisius (ne alios omnes referamus ea aetate turmatim abundantes) parvi fecisse eum constat et, Schottelii more, suae tantum libidini indulsisse, si modo paucissimis ejus scripturae speciminibus summa est adhibenda fides, nam opusculorum ab eo germanice compositorum exemplaria fere nulla exstant, nisi ab ejus scribis exarata.

---

(1) *Morhofii Vita et honores*, p. 28-29 (Ad calcem operis quod inscribitur : *Morhofii Dissertationes academicae et epistolicae*, Hamburgi, 1699, in-4°).

(2) Schmarsow, *Leibniz und Schottelius*, p. 6.

CAPUT III.

QUATENUS LINGUAM GERMANICAM ESSE REFORMANDAM MORHOFIUS ET LEIBNITIUS EXISTIMAVERINT.

Quae Morhofius recte et apte de rebus grammaticis disputavit, etiamsi tardius profecerunt, omnia tamen, vel fere omnia, usu et doctrinae auctoritate esse comprobata, notant ipsi, optimo jure quidem, Leibnitii fautores devotissimi, in hoc tantum errantes, quod Leibnitio revocatae sensim ad meliora consuetudinis praecipuam, quin etiam omnem laudem tribuere non dubitant. Quid de re censendum sit, tota, quam supra instituimus, explanatio satis docet.

Haud aliter autem se res praebet, cum ad id venimus, ut varia perpendantur consilia, quae, illo tempore, ad emendandam linguam pariterque poesim spectantia, facta sunt.

De quibus sane Morhofius, servato more suo, non rite quasi et ex professo disseruit, sed prudentes quasdam et ad artem rationemque accommodatas ita ex ordine exposuit sententias, ut ea potissimum aggrederetur, quae vel graviora perniciosioraque et majore cura confutanda, vel ad probam emendationem magis idonea et planius elaboranda viderentur. Et hic rursus quidquid tractavit mire cum Leibnitii argumentis congruere apparet.

Simili jam exordio, cauti causidici instar, germanicae linguae laudes primum canendas uterque arbitratur; nec mirum: congruentia enim et more hoc ita comparatum erat, ut eos nullo alio modo adire causam deceret. Nam inde ab Opitio et Frugiferis Sodalibus et Schottelio, de lingua germanica ita tantummodo decorum erat loqui, ut ejus primo extolleretur antiquitas, nobilitas, ubertas atque incorrupta integritas, quamquam, evoluta vix pagina, varia nihilominus apparebant de eadem castiganda, expurganda, locupletanda propo

sita. At ea laudis indole ab antecessoribus pariter distant et inter se affines reperiuntur illi ambo, quod minime inflato et exaggerato dicendi genere, quo Schottelius, Harsdœrfferus ceterique eminebant, patriam linguam commendare conantur : temperanti contra et expedita oratione nec non gravi et erudita doctrina usi, adhibitis insuper et inter se collatis cunctis testimoniis nec negata omni necessaria correctione, multo minus eam tunc conspicuis pollere dotibus contendunt, quam reconditam in ea jacere vim quamdam demonstrant, ac futura incrementa subsidiaque et divitias latere indicant, usque ad hanc diem neglecta aut disperdita, nunc autem saniore consilio et cultu iterum adipiscenda et certa ratione in melius assumenda (1).

Uterque igitur pari instinctu, quae questi erant et Opitius fortiter in *Aristarcho* et post eum toties ceteri, revocat, favere prave ac stulte Germanos exterorum operibus, praesertim gallicis, quidquid autem germanicum esset, praecipue patriam linguam, contemnere (2). Ambo quoque, ut Germanis desidiae suae et indecori suorum tœdii pudorem incutiant, iterum atque iterum ante oculos exemplum ponunt exterarum gentium, Bataviae, Italiae, imprimis autem Galliae istius quae tam avide usque ad effigiem a Germanis adsimuletur, cum sit imitanda potius atque aemulanda sagaci assiduoque studio, quo suam linguam semper coluerit (3).

Non infitias profecto eundum, ab antiquo splendore multum descivisse linguam germanicam ab humanioribus viris repudiatam, plebis rusticitati derelictam et inde obsoletam, externis tandem verbis corruptam, atque, ut Morhofius, usurpata Cardinalis Duperronis sententia, dicit, « fructibus illis tam maturis similem, ut undique vermiculentur » (4).

Igitur, ab illis ipsis contemptus, quorum doctiore opera facilior atque elegantior fieri potuit, germanicus sermo, postquam falso

(1) Cf. *Unt.*, 2 sqq. cum *Unv. Ged.*, § 26, 42, 46, 48.

(2) » *Ibid.*, 448, sqq. cum *Unv. Ged.*, § 20.

(3) Cf. *Unt.*, 152-180, 182-211, 255-276 et passim, cum *Unv. Ged.*, § 27, 28, 36, 37, 38, 41, 55, 72, 105.

(4) *Unt.*, 669.

eruditorum studio periodi latinae complexionem et circuitus admisit, liberam tamen et expeditam latinae linguae in verborum consecutione structuram minime servavit (1) : quod quidem efficit articulo, praepositioni, auxiliari verbo et aliis certus in quoque orationis membro assignatus locus, unde gravior et intricatior exstat compositio, quam in ceteris recentioribus linguis, praecipue in Italica (2).

Fatendum est insuper deesse, praesertim politiori a Germanis usurpato sermoni, multa vocabula, quae a peregrinis linguis, potissimum a gallica, mutuanda sunt, nullum suppeditante proprio patriae linguae fonte, quo quaeque sententia aeque significanter et expresse enuntietur (3). Nec, si conficiendi carminis rationem inquiras, abundat lingua illa epithetorum copia, qua maxime splendescit italica, aut ea translationum ubertate, qua ditatur cultior quisque sermo (4). Postremo, quamvis ad enuntianda quotidiana et vulgaria satis apta sit, abstractis et incorporalibus istis caret vocabulis, quibus tanta vis gallico sermoni contigit, ac prae ceteris britannico, quamquam is proniore studio hujusmodi verba in carminibus usurpat (5).

Quid multa ? Complectenti breviter omnia, quae Morhofius de patria lingua questus est, lucide apparet, eadem jam ab eo, allatis certe pluribus exemplis et uberioribus argumentis, reprehendi, quae Leibnitius paulo post iterum vituperavit ; nec ulla ab hoc nisi a Morhofio dudum notata enuntiari, cum animadvertit ad id virtutis et excellentiae linguam germanicam esse hucusque evectam, ut cuncta facile expromat, quae quinque sensibus percipiuntur, minus commodam autem et copiosam eam inveniri, ubi de iis agatur quae nec cernere nec sentire, sed cogitatione tantum assequi licet (6).

Postquam autem tam sincera Morhofius plane confessus est, aequitate tantum eum esse usum existimaveris, cum tuendae quoque, quoad fieri potest et justum videtur, patriae linguae partes rursus suscipit, eam nihilominus quibusdam dotibus etiam tunc

(1) *Unt.*, 516.
(2) *Ibid.*, 666, 668.
(3) *Ibid.*, 659.
(4) *Ibid.*, 667-670.
(5) *Ibid.*, 671 sqq.
(6) *Unv. Ged.*, § 9, 10, 15.

commendari monstrat, falsaque diluere conatur crimina, quae tot peregrini, quin etiam tot germanici docti viri in eam intendere certabant. Saepius igitur nec injuria notat, eam prave et falso a nonnullis increpari, tamquam nimia consonantium asperitate, ipsas, ut aiebant, fauces abradentium, et surdo semperque repetito earumdem vocalium sono difficilius sese delicatioribus insinuaret (1).

Re ipsa hoc tantum verum est, eam non màjore quam graecam, ut de ceteris sileatur, consonantium congerie aut concursu laborare, nec vocales in ea minus clare aut modulate sonare, quam in dulcissima quaque lingua, ut, inter ceteras, latina aut hispanica, ceterum nulli venustate et lepore cedere (2), multasque peculiari quadam vi superare, quae inde hauriatur, quod in ea innumerae exstent voces una syllaba constantes, quamquam rursus non negandum est, tot uno tenore fluentibus monosyllabis nonnunquam fastidium quoddam gigni, nec cadere plerumque orationem in hunc concinniorem « numerum », quo antiquis linguis tantum adsit oblectamenti (3).

Verborum sane et troporum, nec non variorum elocutionis ornamentorum copia eam ceteris linguis imparem esse constat ; at huic egestati opem atque auxilium ferre obvium proximumque est.

Translationes enim, quarum inopia eam potissimum laborare nemo negaverit homo doctus, e peregrinis linguis, utpote docilis tractabilisque, haud aegre indueret, si quae commodae aut ad ornandam elocutionem aptae viderentur (4) ; abstracta autem verba, quotquot necessaria forent, e proprio fundo quasi ultro eliceret ; nam nullam reperias linguam, quae « bequemer sey nach der Vernunft und den Conceptibus rerum gerichtet zu werden » (5).

Postquam igitur Morhofius in hunc perspicuum modum germanicam linguam cum cultissimis vel antiquioribus vel recentioribus

---

(1) *Unt.*, 450.

(2) *Ibid.*, 464-465.

(3) *Ibid.*, 81-83. — Opportune monet alio loco Morhofius monosyllaba ita crebro in lingua germanica occurrere et enuntiandae cuique sententiae ita videri necessaria, ut ille operam perdat, qui eorum concursum in soluta vel ligata oratione vitare voluerit (*Unt.*, 547).

(4) *Unt.*, 667.

(5) *Ibid.*, 458.

linguis vicissim contulit et ad id jam venit, ut eorum, quae dixerit, summam faceret, veritus fortasse ne proprio arbitrio nimio indulgere videretur, humanissimum pro eo tempore virum in testimonium adducit, illustrem Conringium nempe, quo non majore tunc auctoritate vigebat alter inter studiosissimos acerrimosque antiquarum linguarum et litterarum amatores, et, usurpato feliciter summi viri de lingua germanica judicio, his optime perorat verbis : « Habet germanica lingua, qua se prae Graeca pariter et Latina commendat, simul incredibilem atque infinitam vocum componendarum vim ac felicitatem, habet primitiva plurima, modo probe eruantur. Nec est aliquid temere elegantiae, quo cuiquam linguarum sit secunda... Quas dotes et quam felicitatem non agnoscere, ideo autem duntaxat vilius illa aestimare, quoniam exotica non sunt haec bona, indignum profecto facinus est, nec tolerandum prudentibus » (1).

Oratorio ingenio magis indulgens Leibnitius satis habet eam in summa laudare, conspicuo quidem praeconio, sed testimoniis et exemplis omnino carente et, si unum excipias locum, nimis in universas definitiones et communes observationes delapso. Postquam enim ei semel animadvertere contigit, ut supra memoravimus : « Ich finde, das die Teutschen ihre Sprache bereits hoch bracht, in allem dem, so mit den fünff Sinnen zu begreiffen, etc... » (2), frustra quidquam amplius requiras, nihil ultra dicit eademque tantum his verbis repetit : « Stecket also im Teutschen Alterthum, und sonderlich in der Teutschen uhralten Sprache..... der Ursprung der Europæischen Vœlcker und Sprachen, etc.., . » (3), quod certe Morhofius jam crebro satis dictitaverat.

Hac igitur ratione conscriptis, ut ita dicam, germanicae linguae virtutum et vitiorum tabulis, ambos decet inquirere, quo consilio reconditae ejus virtutes suscitari et amplificari, aut manifesta nimis vitia emendari et castigari possint, et, cum varia hucusque praescripta remedia haud omnino abnuant ambo, uterque tamen, praesertim Morhofius, ea nimis violenta curatione admota esse declarat.

(1) *Unt.*, 152.

(2) *Unv. Ged.* § 9.

(3) *Ibid.*, § 16 ; cf. § 12 et 18.

Quae de purganda lingua, expellendis externis verbis et in eorum locum subjiciendis vocibus e germanico fundo erutis, multos jam annos meditati erant doctissimi inter Germanos viri, ea tunc etiam eruditorum mentes potissimum sollicitabant, quamquam negari non potest, molesta et turbida nonnullorum sedulitate haud in parvum discrimen esse adducta eorum consilia, qui prudentiore animo totam operam restaurandae linguae hucusque navaverant.

Quae enim insulse et inepte aut creaverant aut ejecerant Caesius ejusque discipuli, cum contemptu quodam respergerent et prope ridiculos facerent sapientiores tamen et revera moderatiores Frugiferi Sodalitii atque optimi cujusque inter sodales conatus (1), studia eorum magnopere restrinxerant, qui, ut solemni eo tempore verbo utamur, « linguam germanicam in antiquum splendorem et integram castitatem » restituere moliebantur.

Adde quod satirarum poetae tam opportunam risus occasionem non mediocri cupiditate amplexi erant, et omnis generis salibus illudebantur eorum incepta, utpote confuse ac ridicule tentata. Uberrimis facetiis lacessebant Grimmelshausenius, Schneuberius, Logavius Racheliusque et ceteri ista « grallatoria ingenia », ut ea Conringius lepide appellat (2), quorum tota virtus in hoc constabat, sicut Wernickius paulo post argute dixit, ut « peregrinas voces minus germanice transferrent » (3).

Harsdœrfferus ipse, sopito jamdiu, quo inter Frugiferos Sodales quondam caluerat, ardore, quasvis ex graeco vel latino sermone depromptas voces benigne et liberaliter excipiebat (4). Schuppius autem, ut par erat, eodem « putidos purioris sermonis sectatores » (5) insectans flagello, quo « futiles moris et usus sectatores » (6) nuper tetigerat, eo erat progressus, ut, seu de expurganda lingua,

---

(1) Cf. quae Ludovicus princeps contra eum asseverat ap. Krause, 424 sqq.

(2) *Unt.*, 660.

(3) In Epigrammate cui titulus est : Ecce iterum Maevius (id est : Caesius), v. 3 : « Als man verundeutscht fremde Wœrter » (Kürschners *Deutsche Nationalliteratur*, T. 39, p. 575).

(4) Cf. infra.

(5) « Die Pedanten des Purismus ».

(6) « Die Pedanten der Mode ».

seu de emendanda orthographia, pariter summum cujusque rationis et legis contemptum prae se ferret; alacri enim subtilique jocans ingenio, per facetos sales protevasque argutias, praecepta sua lucide satis indicabat, eo demum tendentia, ut omnia respuerentur, quae multo labore contra increscentem corruptionem tentaverat et edixerat Frugifera Societas.

Weisius tandem, postquam cum accerrimis satirarum poetis concinuerat in commenticia fabula, quae inscribitur : *Die drei ærgsten Narren* », minax admodum et metuendus in serioribus operibus apparebat. Non modo enim in his, quae ad instituendam juventutem scribebat, opusculis, tum patefacta haud ambigue sententia, tum, ac potissimum quidem, ipsa orationis suae forma, ostentabat se omnino contemnere inanes, ut dicebat, istiusmodi controversias, sed fastidio etiam nugarum quas ridebat magis magisque in dies ad lacessendum agebatur, mox ad id venturus, ut, quae de veritate repraesentanda docuerat, ad usum linguae ipsius accommodaret ac directe juberet externa quaeque usurpari vocabula, praecipue gallica, non modo in soluta oratione, sed etiam in carminibus, ea tantum imposita conditione, « man lasse sich nichts mercken, als wenn man etwas mit Fleiss affectirte, und als wenn die Wœrtgen nicht *à la négligence* beygefallen wæren » (1).

Quae igitur recte et scite, assumpto tamen nonnunquam aliquo derisu, obtinere sensim contigerat viris expurgandae linguae studiosis, ea alii jam, nimio inconsultorum reformatorum studio deterriti, vix tueri audebant aut omnino deseruerant, alii vehementi ad contraria impetu moti, praecise negabant et funditus evertere contendebant. Morhofio et Leibnitio laudi est dandum, quod ambo inter se repugnantes partes ex aequo temperare, et, si quid inconcussi ex hoc diuturno certamine emergebat, id servare sunt conati.

Morhofius profecto saepius advectis in linguam germanicam peregrinis vocabulis adversatus erat, quam ut dubitaret eos increpare, qui rursus quaslibet externas voces promiscue accipiendas esse arbitrarentur. Firmiter igitur iis consentit, qui omni peregrini-

(1) Christian Weisens *Curiœse Gedancken von Deutschen Versen* (Verlegts J. Fr. Gleditsch, 1693, in-8°), p. 136. — [Priore, quae anno 1692 data fuit, editione uti non licuit.]

tatis macula, quoad res opportune ferret, sermonem patrium mundare studebant, modo nihil intemperata sedulitate tentetur; nam, inquit, « in allen Dingen muss Maasse gehalten werden. Man muss allezeit auff den Gebrauch und die Eigenschafft der Sprachen sehen. Wo dieses nicht geschieht, kan man mit demselben es verderben, damit mans gut zu machen vermeinet » (1).

Praecipue autem diffidendum esse ait immodica asperitate nimiaque et acerba verecundia, quae nihil aliud, nisi risum moveat (2). Sunt qui sese in verborum delectu « nimis superstitiosos » praebeant (3); ipse vero, si quando opus fuerit, omissa omni dubitatione, inclitorum istorum « Criticorum » recusat judicium « die das Laster der beleidigten Majestæt und den Gebrauch eines Ausslændischen Wortes gleiche straffbar halten » (4).

Iisdem plane verbis Leibnitius, vel cum peregrina vocabula expelli jubet, istos sibi nimis confidentes verborum exactores reprehendit, quos « Puritaner » increpat et imitari abnuit, quippe qui « superstitiosa religione imbuti, quodvis externum quidem, sed commodum et opportunum vocabulum aeque ac mortiferum peccatum vitent » (5).

Eorum certe est, inquit Morhofius, qui restaurandae linguae naviter student, hujus generis vocibus abstinere; parcendum tamen iis est, « die schon længst in Teutscher Sprache das *Bürgerrecht* gewonnen, als *Fenster*, *Kloster*, u. s. w. » (6). Mire consentaneis argumentis exemplisque Leibnitius eadem excipit, cum dicit: « Es haben unsere Vorfahren kein Bedencken gehabt, solch *Bürger-*

---

(1) *Unt.*, 665.

(2) *Ibid.*, 505, 609. — Cf. *Unv. Ged.*, § 23.

(3) « Gar zu aberglæubig » (*Unt.*, 505 = *Unv. Ged.*, § 16).

(4) *Unt.*, An den Leser, p. III.

(5) *Unv. Ged.*, § 16 : « Hat es demnach die Meynung nicht, dass man in der Sprach zum Puritaner werde, und mit einer aberglænbischen Furcht ein fremdes, aber bequemes Wort, als eine Todt-Sünde vermeide, etc... ». Multo dubitantior apparet Leibnitius alio loco (§ 65) et, solito more, litem postea constituendae societati dirimendam relinquit.

(6) *Unt.*, 658.

recht zu geben. Wer siehet nicht dass *Fenster* vom Lateinischen *Fenestra*? » (1).

Non obliviscendum enim, ut recte animadvertit Morhofius, nullam linguam ita puram et integram esse, ut nullum admiserit aliunde vocabulum; quod si interdum occurrit, non ideo statim manifestum corrupti sermonis indicium est reputandum, et, cum necesse sit cuique linguae externa vocabula paulatim subrepere, unicum intemeratae munditiae privilegium a germanico sermone minime aequo jure expetendum est.

Etiam sermo gallicus italico, latinus graeco multa debet, nec erubescunt Britanni quidquid eis commodum videtur ab aliis linguis mutuari, ex quo, ut placet, pura fit britannica dictio; nec certe sine aliquo proventu, praesertim quod ad carmina spectat, cum inde eis contingat multa gravius et pressius enuntiare (2). Quam sententiam rursus expromit Leibnitius et Romanorum Britannorumque exemplo pariter confirmat (3).

Praeterea non aequo jure et pari severitate proscribenda sunt quaeque peregrina, quibus sermo germanicus abundat, vocabula; immo inter ea maximi momenti discrimen est faciendum, prout ad cujusque vel naturam, vel usum spectaveris. Scribenti enim, ut exemplo utamur, de qualibet re peculiaris quaedam dictionum adhibenda est copia, quae non nisi eruditorum more et superiorum consuetudine probatur, quamque, ne obscura admodum fiat explanatio, auctorem servare decet, in ea re aptius ut doctorem (« Lehrer »), quam ut oratorem (« Redner ») facturum (4). Nam hoc est praesertim cavendum, ne pro assuetis et cuique in cogitationem cadentibus verbis nova et inaudita subjicias vocabula, arte tantum ficta et interpretationem exposcentia ipsa (5).

Sic strenue refelluntur a Schottelio (6) quondam et Harsdœrffero (7)

---

(1) *Unv. Ged.*, § 99.
(2) *Unt.*, 229 et 660.
(3) *Unv. Ged.*, § 68.
(4) *Unt.*, An den Leser, p. III; cf. *Unv. Ged.*, 87 et 94.
(5) *Ibid.*, An den Leser, p. III; cf. p. 523.
(6) *Ausf. Arb.*, 1243 sqq., 1248, 1250, 1272 sq.
(7) *Poetischer Trichter*, III. Theil, 2. Betrachtung et *Specimen*, Disq. X, p. 229.

excogitatae, a Buchnero (1) tentatae, a Leibnitio (2) postea (tamquam omnino novae, quid dicam?) rursus propositae quaedam artificiosae rationes, quibus cuique novae in omni disciplina usurpandae voci fores aperire liceret, et quarum haec summa erat, ut omnis nova et arte ficta vox primum sermoni insertaretur, subjuncto statim aut in margine adscripto graeco vel latino vocabulo, quo antea eruditi viri essent usi (3). Nec satis habuisse videtur Leibnitius, si hujusmodi deverticula commendaret : quippe qui, assiduus rerum novarum fautor et inventor, in alio loco suaserit (4), ut vocum aliunde invectarum origo interim germanicae scripturae usu, quasi velamento, tegeretur, donec ad patriam inflexionem et solita desinentia eae demum usu et consuetudine essent adductae genuinaeque linguae vocabulis plane adsimulatae (5). Morhofius autem artificia ista parum curat; cui satis est externa aut nova verba ibi tantum usurpari, ubi a lectoribus intelligantur, intus in linguam usu et consuetudine sensim suscipienda, si modo commoda videantur et opportune fuerint introducta.

Ceterum inter ea, quae recentiore commercio in Germaniam defluxerunt, sunt quae rem designatam comitentur, et ita praefinito sensu, ut nulla in germanico sermone parem vim habeant. Quod praesertim manifestum est in verbis a francogallica lingua mutuatis et ab optimo quoque sive oratore, sive scriptore usurpatis; nam pleraque eorum tam exquisita cogitationum ac velut colorum dis-

---

(1) Cf. Schultz, *Bestrebungen der Sprachgesellschaften*, p. 139.

(2) *Unv. Ged.*, § 91-92.

(3) Eadem aliis vix verbis suadet Fenelo in *Epistola ad Academiam* (ed. N. A. Dubois, Paris, Delalain, 1864, in-12, p. 5-6) : « D'abord le mot grec ne passait que comme étranger ; on demandait permission de s'en servir ; puis la permission se tournait en possession et en droit ».

(4) *Unv. Ged.*, § 96.

(5) Jamdiu, ut notum est, docti in Germania viri externa, praecipue graeca et latina, ad artes pertinentia vocabula hunc in modum adhibere cœperant. — Paucis autem evolutis paginis, mutatam jam apparet esse a Leibnitio sententiam; animi enim insconstantiae, ut saepius, indulgens, jam omni ex parte contrariam ingreditur ille viam hortaturque ut omnino tollantur litterarum germanicarum formae et unice in posterum adhibeantur romanae, quas typographi appellant, litterae (*Unv. Ged.*, § 100-101). Cui proposito, longum post temporis spatium, assentiuntur tamen magis in dies eruditorum operum editores.

crimina expromunt, ut ne tota quidem sufficiat germanicae linguae verborum copia, si tam acuta plane fuerint referenda. Et in ea deficiunt communiter omnes linguae, ut recte animadvertit Scaliger, de verbo *ineptus* disserens, cui simile nihil in graeco sermone reperiatur. Non est igitur quod hujusmodi auxilium quasi ultro detrahatur aut verba inconsulte prohibeantur, quae cum maximo ipsius linguae lucro usurpaveris, ea tantum conditione, ut a sublimioribus dicendi generibus procul remota maneant nec praecipue macula nobile quodque carmen afficiant (1).

Eadem denuo occurrunt apud Leibnitium, qui pariter memorat, a Cicerone quondam reprehensos esse Graecos, quod in eorum lingua nullum reperiretur verbum, quo latina dictio « *ineptus* » redderetur (2).

Mirum forsitan videri potuerit a Morhofio primum, atque a Leibnitio non ita multo post, eos adeo modice probari, qui summum restaurandae linguae munus susceperint et ope novarum e germanico fonte erutarum vocum externa, cuique arti necessaria quidem, sed patrium sermonem deformantia vocabula detrudere conati sint. At ea ratione hactenus in germanicas, quae dicebantur, mutatae erant illae voces, ut ambos deceret, utpote cautos et prudentes homines, talium mutationum infinitae libidini diffidere.

Non enim jam erat lingua germanica ea quae, ut olim, quasi ad arbitrium ex perenni fonte novas emittere posset verborum propagines. Duae profecto praecipuae patuerant inde ab antiquissimis temporibus creandis novis verbis viae, seu ea derivarentur, seu componerentur. At duplex illa augendae verborum copiae facultas, quamquam linguae intra certos fines usque aderat, nunc tamen temperanter tantum et omni remota temeritate erat adhibenda. Quod longe secus effecerant immodici novarum vocum creatores.

Caesius, inter omnes, ut derivationis ope formata vocabula primum attingamus, dum excerpta e graeca vel latina mythologia nomina germanicis formis induebat, satis superque demonstrabat, quid in hac materia turbida audacia effici posset, nec multo melius cesserat iis, qui passim similia tentaverant, non tamen, ut Caesio evenerat, plane deridendis.

(1) *Unt.*, 658-660.

(2) *Unv. Ged.*, § 61. = Cf. *Dut.*. VI, pars 1, p. 299,

Sentiebat igitur doctissimus quisque, vel sibi causae vix conscius, e germanica derivatione nullum, aut levissimum saltem fructum ad augendam linguam esse capiendum, et, exceptis tantum paucis et felicioribus formis, nihil jam in hujusmodi usum praeberi posse ab exhaustis patrii sermonis viribus. Vix valebat tum lingua, veteri indoli fidelis, hac ratione verba fingere, quae revera potius verborum monstra dici poterant, semigermanica vocabula, in quibus vel peregrina desinentia nativis radicibus suffigebantur, vel peregrinis radicibus patria adjiciebatur terminatio.

Uberior sane supererat, et etiamnunc omnino viget, componendi verba facultas : at rursus Silesicae posterioris Scholae exemplo satis superque patebat, istam viam ad deformitatem tendere nec quidquam inde ortum iri, nisi fœdas vocum juncturas, dum vivida quaererentur vocabula, quibus, si Fenelonis verba usurpare licet, « carminum splendor » esset assequendus.

Igitur, cum Morhofio, praeter varia ab Hoffmannswaldavio et Lohensteinio illa ratione formatarum vocum specimina, similia a francogallicis « Pleiadis », ut dicitur, sodalibus, simili quidem eventu, inchoata in mentem venirent, affectatas hoc modo divitias propenso minus animo et valde temperato studio ab eo excipi necesse erat. Et multis quidem locis eos increpat, qui, dum sibi linguae ubertatem et abundantiam ostentare fingant, eam tantummodo « nunc ineptis compositionibus, nunc cothurnatis metaphoris» deturpent (1).

Quid de eadem re senserit Leibnitius novisse profecto non alienum fuerit; sed inquirenti ejus opinionem desunt iterum documenta quaeque ; in uno quidem opusculi *Unvorgreifliche Gedanken* inscripti articulo compositionem et derivationem tamquam obvios augendae linguae modos obiter memorat, sed ita confusis et obscuris verbis, ut confiteri deceat, quo totius orationis summa tenderet nos omnino latuisse (2).

---

(1) *Unt.*, 635-658.

(2) Omni fere nexu carentia, ut nobis visum est, Leibnitii verba sat erit hic retulisse : « Es bestehen nun die neuen Worte gemeiniglich in einer Gleichheit mit den alten, welche man Analogie, das ist Ebenmass nennet, und so wol in der Zusammensetzung als Abführung (Compositione et Derivatione) in Obacht zu nehmen hat » (§ 74).

CAPUT IV.

DE VETERE LINGUA ET DIALECTIS AD LOCUPLETANDAM LINGUAM ARCESSENDIS, NEC NON DE CONCINNANDIS LEXICIS.

Hos igitur artificiosos verborum per derivationem aut compositionem creandorum modos cum Morhofius vel respueret, vel parce tantum toleraret, non est ideo censendum ab eo negatam esse praesentem linguae inopiam, aut repudiatum omne ejusdem locupletandae consilium.

At duos plane diversos fontes merito arbitratur ille sese quasi obvios praestare, unde, spretis novarum vocum informandarum nugis et salva patrii sermonis natura et indole, quaelibet commoda et expedita linguae incrementa hauriri possint ; qui ut aperirentur, necesse tantum erat veteris linguae thesauros effodere et dialectorum non minus amplas eruere divitias.

Quotiescumque reliquias veteris germanici sermonis memorat ac percenset, nullam praetermittit occasionem antiquae linguae vim ac decus, ubertatem et integritatem summis, at certe meritis, laudibus extollere (1), hortaturque, ut jam supra diximus, ut colligantur haec reverenda monumenta, ut percenseantur et excerpantur vetera glossaria, quia multum fructum ex quovis antiquiore, vel inchoato ac rudi lexico doctrina verborum possit capere (2). Itaque cum Henischii *Thesaurum Linguae et Sapientiae Germanicae* laudet, doleatque interruptum pendere strenui diligentisque auctoris opus, eum tamen reprehendit, quod vetera vocabula plus aequo omiserit et ideo gravissimam et utilissimam laboris partem imperfectam reliquerit (3).

(1) Cf. supra et praesertim *Unt.*, 50-52.

(2) Cf. *Unt.*, 100, 498-499 et passim.

(3) *Unt.*, 502 sqq. — Quod bene de illo censuit Morhofius comprobavit plane

Eadem profecto de colligendis veteribus vernaculisque vocibus sentit Leibnitius et inter varia diversorum lexicorum lineamenta, quae in opusculo *Unvorgreifliche Gedanken* describit, veteris linguae dialectorumque Glossarium (Spracquell) confici optat (1); at quanto usui futurum sit hujus generis opus ad augendam et ornandam linguam non tam lucide, quam Morhofius, intelligere videtur, et hoc potius ob eam causam conficiendum suadet, quod ad diligentem linguae pervestigationem exacta harum vocum notitia necessario pertineat (2).

Ceterum haud aliter visum erat jamdiu multis hujus saeculi doctis circumspectisque viris, et prae ceteris, Schottelio (3) atque Harsdœrffero (4). Quos non fugiebat linguam inquirenti et in melius convertere studenti potissimum operis et indagationis supellectilem deesse et alioquin hunc laborem praesertim urgere et maxime profecturum esse, quo colligeretur, seligeretur et in ordinem redigeretur quidquid divitiarum peculiarium linguae fundo adhaereret.

Communi igitur opinioni non minus quam propriae prudentiae paret Morhofius, cum et ipse totam seriem conficiendorum lexicorum enumerat, quae quantum linguae profutura fuerint non est quod hic demonstremus; quorum pleraque paulo post Leibnitio etiam in optatis fuere : ac primum « Harmonica omnium linguarum lexica » postulat, quibus conferendorum inter se diversorum sermonum studiosis opera facilior fiat et laboris materia suppeditetur(5); deinde « Synonymorum, Epithetorum, Antithetorum et Phrasium » (6), nec non « Metaphorarum poeticarum » (7) Lexica; postremo « Homœoteleutorum (sive « Rimarum ») et Pedum Lexicon (Reim- und Fuss-Lexicon) » (8).

Jacobus Grimmius (*Deutsches Wœrterbuch*, I, Einleitung, col. XXI), qui praeterea animadvertit Henischium saepius materiae congerie laborare.

(1) *Unv. Ged.*, § 33.

(2) *Ibid.*, § 32-35, 41-45.

(3) Cf. Schmarsow, *Leibnis und Schottelius*, p. 22 sqq.

(4) *Specimen philologiae germanicae*, Disq. X, p. 167.

(5) *Unt.*, 105 = *Dut.*, VI, pars 1, p. 89.

(6) *Ibid.*, 524 = *Unv.*, *Ged.*, § 79.

(7) *Ibid.*, 662. — Cujus specimen ipse, quod ad latinas metaphoras spectat, in *Polyhistore* dedit (Tom. 1, Lib. 3, cap. 11).

(8) *Unt.*, 542.

At maximo et unanimo efflagitatu exposcunt cuncti Lexicon Etymologicum, de hoc tantummodo dissentientes, quibus elementis sit constituendum et quo ordine digerendum hujus generis opus. Jamdiu qua ratione res sibi instituenda videretur Schottelius exposuerat; sed, dialectos generatim, praecipue autem vernaculos superioris Germaniae sermones, ultra modum aspernatus, nulla in hoc opus nisi politioris linguae verba vult admitti, exceptis profecto quibusdam ab inferiore saxonica dialecto ductis, quae ei, utpote patria et genuina, placebant (1).

Leibnitius eadem probat consilia, materiam tantum inter tria lexica separatim distribuendam opinatus; sed Etymologicum Lexicon ceteris ipse quoque praefert (2).

Unicum contra Lexicon Harsdœrfferus Morhofiusque concinnandum existimant, sed solidum et quoquo modo completum, Henischii *Thesauro* simile, sed ad omnium veterum documentorum fidem exactum ; ita autem constitutum, ut cuncta linguae complectatur verba, antiqua pariter et nunc usitata, vernacula simul et quae sola politior lingua usurpet (3).

Paucis nempe, ut supra dictum est, linguarum cognationes aut etymologias scrutantibus, tam clare quam Morhofio percipere contigit, quanti essent ad informandam linguam momenti vernaculae dialecti, ac simul quae esset earumdem et politioris linguae reciproca conditio; et, cum non nisi injuste ea possint taceri, quae Harsdœrfferus et Schuppius de hac quaestione recte et prudenter animadverterunt, Morhofius tamen unus est habendus, qui aequo simul et subtili ingenio temperaverit hinc severiores horum sermonum, utpote corruptorum et omni cultu curaque indignorum, contemptores et proscriptores, illinc immodicos eorumdem fautores, qui eos politiori linguae opponerent et eorum usum, tamquam pari jure concedendum, commendarent. Unus igitur exstitit, qui vera vero

---

(1) *Ausf. Arb.* 158.

(2) *Unv. Ged.*, § 41, 47, 48, 78; *Dut.*, VI, pars 1, p. 106.

(3) *Unt.*, 493 sqq., praecipue 498-499. — Meditabatur Morhofius *Etymologicon graeco-latinum et germanicum*, ut ipse monet in *Unt.*, 149 et hujus laboris specimen quoddam dedit in eodem libro, p. 122 sqq., dum de corporis partibus disserit.

judicio aestimaverit ostenderitque, tum maximam opem locupletandae politiori linguae a dialectis ferri et inde eam reparari et reviviscere posse, tum summo separandos esse discrimine diversos prorsus cultiorum virorum et plebis sermones, et praecipue cavendum, ne intempestiva utriusque permixtione aut confusione humanior lingua corrumpatur et inquinetur, dum eam corrigere et ditare sibi quidam proponant (1).

Ea autem exceptione, ut par erat, facta, Morhofius Hugonem a Trimberg plane comprobat, his verbis suadentem, ut ex dialectis singula sumantur vocabula, quae litteratorum linguae apta sint visa :

Wer aus denen was gutes nimet,
Das wol in seinem dichte zimet,
Mich dunckt der habe nit missethan,
Thut ers mit kunste, und nit durch wahn (2).

Inde igilur, nullo admisso dubio, apparet, quid significet Morhofius, cum de germanico sermone dialectorum ope augendo loquatur; singula nempe hinc et illinc colligi posse vocabula arbitratur, quae cum maximo linguae lucro ex unaquaque dialecto sint mutuanda et inter usitalas cultioris linguae dictiones opportune admittenda ; at eis arcessendis, ut mox fusius exponetur, modum ac metam strictissima lege imponit.

Quamvis enim non sit negandum praecipuo quodam studio eum vernaculis sermonibus favere et valde libenter ab eo « suam » inferiorem linguam saxonicam memorari (3), ubique tamen sibi constans praedicat, nullam nisi superiorem germanicam, puram et intactam, a doctis viris esse adhibendam eamque pro unica legitima litterarum interprete habendam. Propriam quidem dialectum, scilicet Misnensem (4), nequaquam tamen dissimulatis ejus mendis, eximiis, ut par erat, laudibus prosequitur, nec potest quin, una cum Micrae-

---

(1) Quid de dialectis in universum senserit, jam supra fuse lateque narravimus, Cf. Part. I, cap. 3, Part. II, cap. 5-6, Part. III, cap. 2-3.

(2) *Unt.*, 487.

(3) *Ibid.*, 479 et passim.

(4) *Ibid.*, 480-482.

lio (1), doleat vehementer, eam sensim factam esse conditionem inferioris germanicae, maxima ubertate, suavitate, modulatione praeditae dialecti, ut e litterarum usu recedere debeat ; sed multum abest, ut, quemadmodum Laurembergius (2), contra communis linguae auctoritatem, inde a Luthero praepollentem, resistat aut repugnet ; cui tantum optat inseri quidquid patrii vigoris et virescentis suci adhuc praebeant dialecti germanicae ; ceterum ad expleta fata depaciscitur sponte, nec is est qui, Schottelii more, sententiam, occasionis aut studii peculiaris causa, mutet et cuique dialecto, utcumque pluris minorisve aestimatur, nunc indulgeat, nunc adversetur. Nam quidquid de vernaculis sermonibus germanicis sentit, idem de italicis, de francogallicis profitetur, et rerum quae ad linguas pertinent universitatem amplexus, de ratione et convenientia, qua inter se cujusque nationis vernaculi sermones et communis cultior lingua conjungi debeant, certam sibi, non arbitrio aut libidine, sed investigatione et experientia, normam constituit, de qua in toto opere non discessit.

Itaque, dum Ronsardum officiosissimum, ut erat ipse, cujusque vernaculi sermonis amicum laudat, eum contra vehementer vituperat suadentem, ut aulicae linguae misceantur omnes vernaculae dialecti et cunctae undique promiscue et indiscrete usurpentur (3). Quam cauti et rigidi jam in eo discrimine fuerint Latini opportune monet, de Graecis autem recte animadvertit, humanioribus quidem viris cujusque stirpis dialectos in operibus suis usurpare fas fuisse, sed hoc in carminibus tantum fuisse concessum et ea insuper conditione, ut variarum dialectorum nulla admitteretur mixtura, adscripta quasi cuique poeseos generi peculiari sua dialecto (4).

Hic rursus fuerit certe locus inquirendi et comparandi, quid de

---

(1) *Ibid.*, 482-483. — Schottelius quoque Micraelii querelas refert et saepe hujus sententiae auctor falso est habitus.

(2) Laurembergius vehementer vanam, ut dicit, eorum opinionem increpat, qui contendere audent nullum viro docto dignum opus nisi superiore germanico sermone scribi posse. Cf. ejus satiram : *Van almodischer Poësie und Rimen* (ed. Lappenberg, p. 54-72).

(3) *Unt.*, 484.

(4) *Ibid.*, 485.

eadem re senserit Leibnitius ; eum enim sui sectatores, solito more, libenter depingunt, tamquam qui primus aequam de dialectis opinionem produxerit et manifestum tandem fecerit, quantum eae locupletando sermoni prodesse possent.

Rursus autem cuivis homini, facta sine ira aut studio intuenti, res longe secus apparet, nec ejus opera evolventi ita copiosa firmaque occurrunt documenta, ut primo adspectu fuerint reputata. Vix enim quaedam hic illic sparsa reperias, quibus vel censet, quod nulli jam profecto dubium aut novum erat, magni momenti esse ut colligantur antiquiores ac recentiores vernaculorum sermonum propriae voces (1), vel Menagium ait optime cogitavisse, cum easdem in suum *Lexicon* receperit (2), breviores deinde passim quasi casu interjectas opiniones seu de concisa multarum dialectorum brevitate in enuntiandis quibusdam sententiis, seu de fructu ad promovendum etymologiae studium ex iisdem sumendo. Frustra autem quidquam amplius requiras (3).

Quae tamen de constituendis et accurate servandis inter dialectos cultioremque linguam finibus ac terminis praescribit Morhofius, non ita sunt intelligenda, ut popularem poesim contemnere videatur. Immo, quemadmodum puram et vividam vulgi linguam prae ceteris aestimat, ita candide et sine fuco condita praecipuo amplectitur amore, nec facile quemquam illo tempore invenias, qui Johannem Sachsium, ab Opitio inter vagantes, quos « Pritschenmeister » appellant, poetas relegatum, majore ornaverit laude (4). Namque, dum summis viribus nititur contra ea quae, tamquam « naturae maxime congruentia », praedicabant Weisius ejusque discipuli, et ea ostendit rustica potius et sordida esse reputanda, verum nihilominus et unicum restituendi simul poesim linguamque hunc esse modum profitetur, ut ad sincerum naturae conspectum ac semper praesens studium revertantur scriptores ; quin etiam

---

(1) *Unv. Ged.*, § 32.

(2) *Ibid.*, § 35, 41.

(3) *Ibid.*, § 32, 67, 71.

(4) *Unt.*, 374-377. — Vix apud Hoffmannswaldavium similis fere occurrit de Johanne Sachsio opinio, quem posteri uno animo aspernati sunt et Goethius tantum Wielandiusque in sua jura demum restituerunt.

primus artem his designat verbis, quae mox singulari gratia excepta, Tigurinos Lipsiensesque in rixam et jurgium concitaverunt : « Was ist die Kunst anders als eine Nachahmung der Natur? » (1) Qui, si forte quaedam vere popularis poeseos specimina occurrunt, ea, subito impetu raptus, tanto studio et ardore laudat ac commendat, ut jam fere Herderum ipsum loquentem audire credideris; sic quoddam *Laponicum Carmen* afferentem insolita illo tempore corripit admiratio, quae mire satis et inopinato post longum temporis spatium apud Lessingium resonuit (2).

(1) *Unt.*, 574.

(2) *Unt.*, 411-420. — Cf. Lessings *Werke* (ed. Kürschner), VI, 229-232.

CAPUT V.

DE VARIIS DICENDI GENERIBUS DISTINCTIUS CONSTITUENDIS.

At ea potissimum laus est Morhofio tribuenda, quod, prae ceteris illius aetatis litteratoribus, necessarium inter singula quaeque poeseos genera discrimen semper et ubique observandum commendaverit et ipse servaverit. Vere popularia carmina probat certe, intelligit ac miratur, sed ubi tantum est hic locus; valde autem, et summo quidem jure, artificiose in popularem modum compositos versus respuit ac praecipue ab invadentibus in nobilia et elata genera vel dialectorum, vel plebeii sermonis sordibus abhorret.

Quam quidem, ab antiquis, ut videtur, minus studiose tractatam quaestionem de digerendis in meliorem ordinem et diligentius inter se distinguendis variorum operum generibus, nonnulli in Germania, ineunte XVII° saeculo, pauci tamen, accuratius agitare iterum cœperant; sed parum hucusque vel omnino nihil profecerant; alii enim, ut Opitius, antiquam majorum consuetudine traditam et confusam prorsus generum distributionem, vel potius enumerationem, fere omni ex parte pro cultu retinuerant et rursus ediderant, excerptis et repetitis tantum Scaligero Vidaque et aliis exeuntis XVI[i] et ineuntis XVII[i] saeculi auctoribus; alii, ut Schottelius, ac praecipue Harsdœrfferus et Clajus, cum recentiore doctrina uti viderentur, libidini suae revera tantum obnoxii, mirificas quasdam et ridiculas plane generum descriptiones excogitaverant.

Duobus exemplis hic ostendere liceat, quo demum ceciderit eorum industria: Schottelius omnia carminum genera in quattuor classes distribuit: *Trauerhændel* (Elegias, Epitaphia, Tragœdias); *Lusthaendel* (Epithalamia, Odas triumphales vel Epinicia, Comœdias); *Mittelhændel* (Allegorias, Charades, Tragi-comœdias); *Lob- und*

Lasterhændel (Satiras, Psalmos, etc...). Ut ex his apparet, inter cetera, unum tantum genus omittit, ...epicum. Harsdœrfferus ab hominum conditione partitionem suam facit: *Waldgedicht*, *Schæferspiel* (Idyllia et Bucolica), quae sunt agricolarum carmina *(Næhrstand)*; *Freuden- oder Lutspiel* (Comœdias), quae contingunt vulgo *(Mehrstand)*; *Roman und Trauerspiel* (Commenticias Fabulas et Tragœdias), quae unice optimatibus *(Ehrstand)* conveniunt et eorum, ut ait Clajus, vere propria sunt.

Quibus inanibus somniis, ut decebat, amotis, Morhofius nullam profecto ex omni parte novam doctrinam substituere conatur. Illam potius more ac consuetudine sensim publici juris factam generum distributionem adsciscit, quae vel e servatis Aristotelicae *Poetices* partibus, vel e quibusdam Ciceronianis Horatianisque locis paulatim et, ut ita dicam, latenter coaluerat. At eam non jam, ut mos erat, ex sola ratiocinatione eruit, sed ex ipsis factis quasi evocat et accurata omnium variis recentioribus linguis exaratorum operum recensione confirmat.

Primus igitur in Germania est habendus, qui, dum, exempli gratia, epicum genus de Opitii, lyricum de Harsdœrfferi memoria excidisse videretur, cunctas operum species uno conspectu sit amplexus et eas insolita ante subtilitate ac sedulitate in tria praecipua, quae nunc etiam a doctis viris admittuntur, genera distribuerit, scilicet epicum, lyricum et dramaticum.

Non est, quod valde dolemus, nostri officii ut hic de universa ejus doctrina, in iis quae ad artem poeticam pertinent, in singulis disseramus et ostendamus quam nova et subtilia de hac cogitaverit; ut proposita nostra sequamur, satis habere debemus, indicare quid inde ad effectivam artem intulerit, et breviter praecepta recolere, quae inde ad castigandam linguam et severius circumscribendum quodque dicendi genus accommodaverit, contenti si rursus demonstraverimus, haec saepius cum sententiis congruere a Leibnitio passim in sua opera, ac praecipue in libellum *Unvorgreifliche Gedanken* inscriptum, dispersis.

Ac primum hoc directe et quasi necessario sequebatur e praemissis ab eo de distinctis inter se litterarum generibus, ut cuique eorum tribuenda esset peculiaris sua scribendi ratio et, in summa, valde inter se natura et indole differrent, quae hinc in soluta oratione, illinc in carmine, adhiberentur dicendi formae.

Unus ante eum Harsdœrfferus (idcirco a Morhofio jure laudatus) (1) illud discrimen jam erat suspicatus et hac faceta forsitan sed recta et vivida definitione explicaverat, « eamdem esse discrepantiam inter prosam et poeticam orationem, quam inter ingredientis et saltantis incessum »; quod judicium Morhofius in hunc disertiorem modum confirmat : « Habitus orationis ligatae a soluta in omnibus diversus est, dictione, compositione, periodo, numeris, inventione » (2).

Nec ei satis est, ut par erat, rem ita summatim et leviter definitam et descriptam esse; quaestionem vero in pluribus *Institutionis* locis pertractandam et accuratissime peragendam reputat, suamque de ea sententiam eo acrius omni opportuna documentorum congerie affirmat et probat, quo intemperantius jam illo tempore in poeseos studio, haud secus atque alibi, saevire cœperat effrenata Weisii in corruptelam quasi sponte ruentis doctrina.

Qui non modo scribens quamlibet ipse dicendi formam in omni poeseos genere, nullo admisso discrimine, usurpabat, sed etiam de quacumque hujusmodi distinctione quaestionem institui posse procax negabat, et praedicabat contra regulas omnes esse contemnendas, quae nihil aliud essent, nisi « nativi et ad impetum proni ingenii vincula ». Assumpta rursus vetere, quam in Frugifero Sodalitio nonnulli quondam de orthographia conceperant, sententia, iis in omni operum genere utendum esse linguae formis contendebat, quibus in quotidiano communis vitae commercio quisque uteretur, nec quidquam admodum reperiri posse, quo inter se poesis et soluta oratio, quod ad verborum usum spectaret, dissimiles viderentur, eo usque protervus, ut pro certo ponere non dubitaret « omnem verborum formam aut consecutionem, cui in prosa oratione nullus esset locus, pariter a poesi esse amovendam » (3).

Ut constet quam perniciosa fuerit haec nova doctrina, meminisse

(1) *Unt.*, 655.

(2) *Polyhistor*, T. I, Lib. II, cap. 16, § 1. — Eadem sentire videtur Leibnitius; quippe qui significet passim et timide dissimilem verborum delectum aut structuram, prout de poesi vel soluta oratione agatur : at nusquam de his quidquam expresse scriptum apud eum invenitur.

(3) Cf. Chr. Weise, *Der grünenden Jugend nothwendige Gedanken*, p. 316 sqq.

oportet eam extemplo a doctis et ingeniosis viris, ut Neumeistero et Hunoldio, acceptam, summa gratia, tamquam « praeceptum incomparabile » (diese unvergleichliche Regel), apud ipsos superstites Pegnesienses Pastores valuisse, quin etiam ab Omeisio, solito tamen Morhofii compilatore, suae « *Poeticae* » adjunctam esse (1).

Itaque vehementer ista iterum atque iterum impugnat Morhofius, quae merito cunctis poeseos operibus atrociter minari arbitratur, nec immotum Weisium ipsum reliquisse videtur; quippe qui in posterioribus operibus omnia dubitanter magis tractaverit, quae antea tanta audacia negavisset (2).

Quae igitur in universum scribendi rationi conveniant Morhofius a principio constituit et tres praecipuas esse cujusque orationis virtutes ponit, easdem profecto, quod non aliter erat exspectandum, quae in cunctis illius aetatis « Poeticis » ferme reperiuntur et a Leibnitio, pro virili parte, sunt laudatae : scilicet integritatem, claritatem, elegantiam (3).

At his poesi simul et solutae orationi necessariis virtutibus aliae praeterea poesi propriae sunt adscribendae. « Habent carmina suam, ut ita dicam, peculiarem linguam, imo et Grammaticam ; occurrunt hic verba, phrases, constructiones, figurae nullo modo Oratori usurpandae ».... « Ceterum verba quaedam, et voces in se spectatae, sunt poeticae solisque Poetis relinquendae »...« Est et alia membrorum et periodi structura » (4).

In primis autem multo purior observandus est in poesi verborum

---

(1) Koberstein, *Grundriss*, 5. ed., II, 78, not. 21.

(2) Cf. Borinski, *Die Poetik der Renaissance*, p. 336. — Jam a primis annis inauguratae Rostochii Poeseos Professionis academicae, saepiusque postea cum Kilonii docere cœpit, publicas *De Differentia styli poetici et oratorii* praelectiones habuerat Morhofius ; eo ipso anno, quo *Institutionem* edebat, rursus *De Differentia oratoriae et poeticae dictionis* publice disseruit et de eadem re insuper Programma academicum publicaverat. Cf. *Morhofii Vita et honores* (ad calcem editionis ejusdem *Dissertationum academicarum et epistolicarum)*, p. 15, N. X, XI, XII ; 20, N. XXXIV ; 21, N. XXXV et Moeller, *Cimbria litterata*, III, 461 et 485.

(3) *Unt.*, 655, 660-661, 754. — Cf. *Unv. Ged.*, § 56-57, 80-82, 102-104, 110-112.

(4) *Polyhistor*, T. I, Lib. III, cap. 10, § 2.

delectus, qui praesertim ab omni peregrino vocabulo abstinere debeat. Cum enim voces quaedam, usu tritae, sive ab antiquis, sive a recentioribus linguis sine labe adsumi et communi vel etiam nobiliori dicendi generi possint immisceri, « vel uno ex aliena lingua adscito vocabulo maculatur carmen quodcumque » (1), nisi forte, rara exceptione, in comicum opus quoddam huc illuc, movendi risus causa, aliena vox ex proposito admittatur.

Nec minore sedulitate ejiciendum est quidquid nimiam vetustatem aut novitatem redolet vitandaque sunt dialectorum verba, nisi rursus in quibusdam jocosis operibus, perinde ac peregrinae voces, facetum in modum adhibeantur (2). Pariter fugiendae sunt sonorum imitationes istae, quibus poetae quidam carmina sua vividiora fieri opinantur; nam summis apud antiquos vatibus feliciter successit canora vocum junctura vel etiam sonorum imago, qui nusquam tamen facticia ista et ad risum proxima arte usi sunt (3).

Namque nimium multi scriptores poeticae dictionis dignitatem et vigorem a speciosa et inflata dicendi forma minime discernunt, cum suos versus turgide compositis et redundantibus verbis onerent, aut epithetis sonoris et putidis loquendi circuitibus abutantur (4). Ubique contra brevitate et simplicitate decet poeticam dictionem potissimum nitere : « es ist eine grosse Kunst die Rede nicht weiter auszuziehen, als die Sache es erfordert » (5). Quam normam prae oculis semper habeat poeta necesse est, praecipue si descriptionem aliquam susceperit (6).

At nequaquam a pura dictione abhorrent verborum translationes, quae contra multum valent ad informanda et transformanda voca-

---

(1) *Unt.*, 659. — Cf. *Unv. Ged.*, § 94-95.

(2) *Ibid.*, 656 et 658; cf. *Unv. Ged.*, § 83. — *Unt.*, 509; cf. *Unv. Ged.*, § 84.

(3) *Unt.*, 656-657. — Notum est quanto studio « imitatrici » poesi Opitius faveret ; vocum et sonorum imitationes, resultationes et repercussiones, consonantes certasque figuras repraesentantes verborum terminationes, ceteraeque nugae Pegnesiensibus Pastoribus valde placebant, qni nihil aliud in carminibus ponebant.

(4) *Unt.*, 655; cf. ad summam *Unv. Ged.*, § 59-62.

(5) *Ibid.*, 754.

(6) *Ibid.*, 674 sqq.

bula et poesi non spernendum ad vim augendam auxilium praebent. Sed caute recteque sunt reponendae; nam immodice vel intempestive adhibitae linguam facile inquinant, cum contra, e latino aut aliis sermonibus in germanicum subtiliter arcessitae, quodvis poema ornare et ipsam linguam ditare possint, aptae etiam orationi solutae, si tantum servatus fuerit modus (1). Quae tamen non nisi e gravibus et elatis rebus aut imaginibus sunt petendae, ne dicendi genus abjiciant, nec ullo pacto ex abstrusis vocabulis vel reconditiore doctrina eruendae, quod Britannicis auctoribus aequo saepius accidit : inde enim frigidior fit oratio, quod dure nimis expertus est Ronsardus (2).

Nulla autem re una magis inter se differunt poesis et prosa oratio, quam syntaxi et verborum consecutione. Priori enim convenit, ante omnia, brevis vivida et alacris periodus, ex qua excludendae sunt « periodicae » quaedam particulae aut conjunctiones, communi pedestris sermonis consuetudini aptissimae (3), et contingit insuper expeditior ac liberior verborum collocatio, cum ubique liceat et saepe necessarium sit, justo certe servato modo (4), audacter disposita in ordinem praeposterum vocabula et varias structurae mutationes admittere, si voluerit poeta vel vocem aliquam sententiamve in lucem proferre atque insigniorem facere, vel imaginem tantum evocare, prout quaeque verba in oratione reponuntur. Hac enim arte, citra prosodiae complexum, constat peculiaris carminum numerus, quo in generibus diversis diversa sunt quidem, sed musicae propiora quam solutae orationi. Huic sane, praecipue cum ad altiora tendit scriptor, inest etiam numerus quidam certus et proprius, qui tamen cum poeticis modis nequaquam potest conferri ; unde merito veteres secernebant poeticum numerum ab oratorio (5).

Minime tamen prohibetur pedestris sermo, quin interdum proprias quasdam poeseos dotes affectet, cui in certis et bene sobrieque

---

(1) *Unt.*, 663-664. — His praecipue Harsdoerfferus impugnatur, qui omnem metaphoram ex alienis linguis depromptam repudiabat.

(2) *Unt.*, 660-672 ; cf. *Unv. Ged.*, § 54-55.

(3) *Ibid.*, 661-662.

(4) Necessariam correctionem adhibet non sine causa Morhofius ; Norimbergenses enim poetae verborum transgressione intemperanter abutebantur.

(5) *Unt.*, 511-524 ; 652-653.

delectis locis sententiarum translationes et inversam verborum structuram usurpare licet. Hic constitisse Morhofium valde fuit optandum nec, postquam multa ut subtiliter, ita congruenter ordinaverat de ea vi, quam Bolaeus noster « verbis recte collocatis » tribuit, subito ab assueta sagacitate aberravisse. At quasi sensim et incaute ad id vitium delabitur, quod nonnulli inter Lohensteinii discipulos jam fovebant et aevo insequenti mala hereditate reliquerunt; eo nempe cadit, ut, sui minime memor, fastidiosissimo omnium, insulsissimo et merito ante omnia spreto dicendi generi indulgeat, quod « prosam poeticam » appellant (1).

In summa quidquid antea dictum est consideranti apparet, Morhofium quidem funditus renovavisse rei poeticae rationem, eo autem conservandi amore artem suam et doctrinam tractavisse, ut, quamvis amplificandae et augendae linguae studio impulsus esset, cautissimus tamen ubique fuerit in tentanda qualibet novitate.

Quidquid enim vel traditum esset, vel superesset, servare, si ullo modo fieri posset, necnon, data occasione, redintegrare, corrigere et in melius vertere, adhibita prudentia et ordinata constantia, hoc fuit ei semper disciplinae principium et regimen. Tanta enim genialis ubertas merito videbatur ei linguae germanicae, ut a semetipsa ali posset et facillime illorum subsidio careret, qui ad eam vel temerarie mutilandam et amputandam, vel inconsulto ditandam et augendam tota mente incumberent. Denique, si assiduo tantum cultu exerceretur et inflecteretur, atque ad optimorum exemplarium speciem paulatim corrigeretur, nulli eam ceterarum imparem mox evasuram esse censebat, et servata auctaque e proprio fonte integra poeticae dictionis suppellectile (2), ad id insuper idoneam fieri posse, ut et cogitationes quascumque motusque ac sensus, haud secus atque aliae, expromeret, et elata oratione quidquid de philosophia, doctrina, humanis studiis et publicis rebus pertractarent docti viri, reddere valeret.

Et eum non vana spe captum fuisse demonstrat ipsum auctoris *Institutionem* scribentis dicendi genus; quod opus, cum Schottelii

(1) *Unt.*, 514-515.
(2) *Ibid.*, 670.

libro *Ausführliche Arbeit* inscripto collatum, docet, quantum brevi temporis spatio profecerint litterae germanicae.

Schottelii enim opus legenti constat, auctorem, litteris antiquis implicatum, illepide ac moleste sententiam proferre, ubi latinae linguae usum derelinquit. Semi-latina est dictio, verborum constructione semper, verbis ipsis saepissime. Nunc quae germanicis verbis inchoata erat periodus latino sermone concluditur, nunc enuntiata primum latinis verbis sententia germanico sermone continuatur et ad finem deducitur. Saepe etiam tanta evolvitur implicatione periodus et tanto anceps errat inter ambos sermones auctor dubio, ut omnia intricentur et ad extremum pendentes haereant clausulae. Redundans videtur ubique dicendi genus, exaggerata altius oratio et turgidus verborum delectus.

Totus contra germanicus verborum structura et delectu apparet jam Morhofius, eique latinus sermo tantummodo eumdem in modum prodest atque graecus, francogallicus, batavus, britannicus, italicus ceteraeque linguae, unde testimonia pro rei necessitate sumit, pro exemplis semper allata et a continuo orationis tenore expresse sejuncta, addita saepe vel ante, vel post hujusmodi praecepta, germanica translatione, qua melius intelligantur. De cunctis ad scientiam doctrinamque pertinentibus rebus disserentis sermo virum eruditum omnino decet, qui, vel elatus nonnunquam et ad oratoriam facundiam erectus, severus tamen ubique et compositus reperitur, nusquam tumidus aut immodicus. Cessit enim apud eum argumentis rhetorica jactatio; cessere stricte et dialectice interpretatis documentis simulati et facticii poeticae amplificationis impetus.

Necdum profecto ita expedite et sollerter loquitur, ut postea Leibnitius, Francogallorum commercio perpolitus, erat dicturus. Apud eum omnia eruditionem redolent atque de documentis lente exaratam disputationem, potius quam descriptam uno adspectu cujusque quaestionis imaginem, tardum et gravem doctae scholae in disserendo progressum, multo magis quam alacrem ingenii universas statim rerum rationes et conclusiones amplectentis procursum. At, etsi interdum aliquanto tardiore incedit passu, agnoscitur jam apud eum haec, quae etiamnunc apud doctos in Germania viros usurpatur prosa, in qua vix quaedam desiderantur, quae

sensim in melius sunt conversa; jam fluit ejus oratio emendata et ad normam composita, expedita et liquida, ad propositum placido simul et omnibus ambagibus soluto gradu tendens. Eruditi quidem viri, adhuc solitae latini sermonis structurae interdum obnoxii, haesitatio passim deprehenditur; sed longe distat fugitiva haec cunctatio ab inconnexa plerumque Schotteliani sermonis ratione et apud Leibnitium crebro, exempli gratia, in libello *Unvorgreifliche Gedanken* observatur; ne plura, quamvis subinde implicata videri possit et intricata sermonis dispositio, solidior etiam aequo et interdum laeva, perfectissima tamen ubique, quod multum abest ut Leibnitio semper contigerit, claritate nitet, unde sine ulla dubitatione, dissimulatione aut ambigua interpretatione illustratur et plane manifesta fit auctoris sententia quaeque.

Quae saltem in fronte vestigia veteris moris retinuit, ea inconsultos tantum et primo adspectu judicantes decipere possunt; ibi enim profecto reperias, tamquam peregrina vocabula, omnem verborum copiam, quae, exprimendae cuique ad artes pertinenti sententiae necessaria, Morhofius non poterat quin a doctorum usu adsumeret, si modo intelligi vellet. Ea igitur, ut diximus, consulto tuetur, ut imprimis lucidior et facilior sit lectoribus, in quo ei assensi sunt cuncti recentiores viri docti, repulso tandem immodico puri sermonis sectatorum studio.

Eo sane potissimum patet et quasi offendit discors ille vocabulorum adspectus, quod huic verborum generi romanas litteras latinamque flexionem in media germanica dictione servavit. Num e tam longinquo tempore obsolevit hic usus apud doctos in Germania viros? Nonne hujusmodi exempla usque ad exactam XIX[i] saeculi dimidiam partem, quin etiam in iis, quae ad linguarum doctrinam et philosophiam spectant, hodie, et multa quidem, commemorari possunt? Ideo tantum Leibnitius, cum germanice scribit, recentiorem morem sequi videtur, quod, praecogitata usus arte, istius generis vocabula litteris germanicis tegit et eadem ratione, qua vere patrias voces, inflectit. Revera autem ambo eadem verborum copia, eodem delectu utentur, et, si concedendum fuerit Leibnitium dictionis vi, fervore ac motu praevalere, Morhofium exactae disceptationis subtilitate et pellucida veritate eminere non est negandum.

Quam quidem mutatae in melius elocutionis notam non apud

ambos tantummodo eo tempore invenias, et recte notatum est, quidquid ad renovandam doctrinam per triginta ultimos exeuntis XVII[i] saeculi annos tentatum et consummatum sit, primum statim ac praecipue solutae orationis arti profecisse. Ut enim Morhofius et Leibnitius, ita Thomasius, Arnoldus et Mascovius philosophica, theologica, historica opera sua moderato et nervoso dicendi genere scripserunt, quod cum inflata et verbosa Weisianorum discipulorum ultimorumque alterius Silesiensis Scholae sectatorum elocutione valde, ac feliciter quidem, discrepat.

CAPUT VI.

QUOS SIBI AUXILIARES OPTAVERINT MORHOFIUS ET LEIBNITIUS.

Recte igitur Morhofius, cautus saltem adversus singulorum libidinem vel instinctum, dum optaret emendari ac reviviscere linguam, imprimis confidebat, ut res bene succederet, probis scriptoribus, praesertim autem doctis ex professo viris atque inter eos potentissimis, illis nempe qui Universitatum colloquiis praeerant.

Docendo enim suadere semper in animo, propositi tenax, habuerat et jam supra manifestum est factum, quanta sedulitate, pro parte virili, munere suo sit functus. Quae igitur audacter molitus ac tandem consecutus sit Thomasius, quo impetu rebellantem « Humanismum » fugerit, et, vel per breve temporis spatium victus, germanico tandem sermoni aditum in Universitatis cœtus perpetuo paraverit, considerantem meminisse decet, ita cessisse prospere quidem, sed cessisse modo multis annis post inceptum prœlium. Minime profecto nobis in animo est, ut strenuo viro fortitudinis laudem invideamus, et egregii facti; injuriosum tamen non fuerit animadvertere, eum in summa nihil egisse, nisi ut turbulenta aliquantum manu litem dirimeret, dicta quasi jam causa, quam multis inde ab annis inchoaverat, submissiore forsitan voce, at non ideo minus intenta et efficaci industria et constantia, concors professorum soboles, patriae amantissimorum et acuto praeditorum ingenio.

Quam enim operam Wittebergae aggressus erat Buchnerus, a Neumannio, post eum defunctum, continuatam, et pariter Tscherningius Rostochii Dachiusque Regiomontani susceperant, eam Morhofius Rostochii primum, utpote Tscherningii successor, deinde Kiloniae, a condita statim nova Universitate, persecutus erat. At non satis habuit se ad exemplum magistri et antecessoris Tscherningii componere, academicosque alumnos ad patriam poesim colendam

hortari, aut privatim docere de germanicis litteris ; sed praeterea omnem e novis temporibus et nova doctrina ortam philologiam in Universitatem induxit, et, servato, ut decebat, antiquarum litterarum jure, hinc publice disseruit de recentiore historia et peregrinarum litterarum doctrina, illinc anglicae linguae praecepta tradidit, discipulos denique ita instituit, ut patria lingua, vel scribendo, vel inter se disputando exercerentur.

Proprio igitur studio et labore, nec non eorum opera, qui ejus vestigia sequebantur, fretus, merito praecipuam ponere spem poterat in ea edocendi vi, quae Uuiversitati inesset et, ante omnia, in eruditorum magistrorum auctoritate, quorum institutione, praeceptis et operibus patriarum litterarum emendationem et reformationem paulatim et tuto ad optatum effectum evasuram esse arbitrabatur.

Nec erravit : constat enim ab ineunte XVIII° saeculo in Universitatibus, et iis quidem fere solis, congregatum fuisse quidquid in doctrina emendanda tentatum et elaboratum sit aut ad promovendam scientiam contulerit,

Leibnitius contra de optimatum auctoritate, ope ac studio, nec non de eruditarum Societatum communi labore melius sperare videbatur. Haud ita fallitur Morhofius nec arbitratur multum condendis novis sodalitatibus posse profici. Frugiferae quidem Societati justam tribuit laudem, sed modicam, virorum doctorum etiam tunc superstitum potius, ut patet, memor, quam ipsius Sodalitii merita multi faciens. Laudi enim statim obrepunt meritae correctiones et verecundo sed aperto judicio animadvertit, quam saepe vehementerque erraverint et munere suo sint abusae, nullo certe doctrinae proventu, variae hujusmodi Societates, undique eo consilio conditae, ut linguae studio operam navarent (1).

De ipsa autem Frugifera Societate quid senserit Leibnitius dijudicare, ut plerumque fit, difficile est ; non cessat enim, per totam diversarum opinionum seriem, ejus de illa judicium mutari. In opusculo *Ermahnung* inscripto, pleno ore principes laudibus onerat, Societatis conditores, inceptumque et consilium ejus plane com-

(1) *Unt.*, 445-446.

probat; in libello *Unvorgreifliche Gedanken* (1) multo parcior apparet jam laudatio et graviora quaedam aut desiderantur aut vituperantur; in *Collectaneis Etymologicis* (2) tandem, de ea fere iisdem verbis loquitur, quibus Jacobus Grimmius, qui eam dicebat « Frugiferam Societatem esse nominatam, ut lucus a non lucendo » (3), et eam existimat non minus quam linguam esse delapsam : « La langue allemande, à mon avis, commence à devenir aussi délabrée que la *Société fructifiante,* qui a porté si peu de fruit ».

Ex istis inter se parum concordantibus opinionibus hoc saltem potest probabiliter confici, eum, multis eruditum experimentis, tametsi a variis instituendarum societatum consiliis nunquam destitit, temporis tamen decursu ad eam paulatim sententiam esse adductum, quam Morhofius haud per ambages exponit, cum animadvertit, optimo jure, hujusmodi Societatum plerasque susceptum a se mandatum deseruisse (4). Nec ipsam, cumulato quamquam decore, si huic credimus, ornatam, Franco-Gallicam Academiam a reprehensione excipit; quippe quae, vel optime de francogallicis litteris merita, eo munere nondum functa sit, cujus causa sit condita, scilicet conficiendi Francogallici Dictionarii (5).

Quam cum Morhofius de hac re sine injuria reprehendere posset, Leibnitio contra, utpote aliquanto posterius scribenti, ob absolutum tandem opus laudare licuit (6). Prima enim *Dictionarii* editio anno 1694 publici juris erat facta; simulque Gallis gratulari poterat Leibnitius, qui « in genere Lexicorum omnes alias nationes vicere. Nam, praeter Academicum receptorum in commune vocabulorum, habent Technicum, tum Fureterii, tum Academico adjectum Cornelii » (7). Unde iterum perspicue constat, si haec obiter notare

---

(1) Cf. § 15, 56, 96.

(2) *Dut.,* VI, pars 2, p. 188.

(3) J. Grimm, *Kleinere Schriften,* I (2. ed.), 353.

(4) *Unt.*, 446.

(5) *Ibid.*, 177-178.

(6) *Unv. Ged.*, §§ 35-38.

(7) *Ibid.*, loc. cit., cf. *Dut.*, V, 129, 342, 415, 547. — Editum fuerat Rotterodami anno 1690 Fureterii *Lexicon*.

licet, libelli *Unvorgreifliche Gedanken* paragraphos 35-38 nullo modo ante annum 1694 conscribi potuisse (1).

Leibnitio cautior in suscipiendis consiliis nec ita promptus ad omnem rem novam excogitandam Morhofius, si forte in votis habuit sodalitatem quamdam constitui, eam ab istis omnino dissimilem optat, quae eo usque in Germania exstiterant, eique longe aliam assignat operam, atque Leibnitius futurae Societati praecipit, cujus instituta in libellis *Ermahnung* et *Unvorgreifliche Gedanken* delineat.

Archaelogica enim Societas Upsaliensis, quae, paucis ante annis condita, optime jam merita erat de inquirentibus et edentibus vetera septentrionalium litterarum monumenta, videtur ei, nec immerito, optimum esse civibus suis proponendum exemplar (2). Per totam Germaniam doctorum virorum laborem ad conquirenda veterum temporum monumenta congregare, quaecumque manuscripta in monasteriis et bibliothecis jacent, in lucem, censum et interpretationem evocare, pretiosissimos illos thesauros, nobiles gentis linguaeque germanicae titulos, in vulgus edere, flagitato, si res tulerit, principum auxilio et optimatum ope, imprimis conari volebat eam societatem, quam vehementer exoptabat : hoc enim esse necessarium munus, hanc praeclaram et utilem operam. Et illud solum officium ei mandandum esse existimat, ratus consociata hunc in modum multorum sedulitate, multa effici posse in ea litterarum parte, quae homo unus, quamvis doctus, benevolus et impiger, solis suis viribus absolvere nunquam posset.

Recte iterum providisse Morhofium postera aetate compertum est. Multa enim de condendis societatibus juxta descriptam a Leibnitio formam sunt excogitata, pleraque autem vel intentata vel vix inchoata remansere (3). Non paucae quidem ortae sunt hujusmodi

---

(1) Et quantum meritus sit de lingua Fureterius. confecto *Technico* suo Lexico, iisdem fere verbis rursus animadvertit Leibnitius in Epistola ad Abbatem Nicaise anno 1696-1697 missa, eo ipso scilicet tempore, quo libellum *Unvorgreifliche Gedanken* componebat (Cf. *Dut.*, V, 547).

(2) *Unt.*, 65-66, 290. — Cui Leibnitius quoque meritam refert laudem, cum de condenda *Societate Historica* ad Ludolfum scribit (*Dut.*, VI, 90).

(3) De diversis instituendarum Societatum consiliis et inceptis, cf. H. Schultz, *Die Bestrebungen der Sprachgesellschaften des 17. Jahrhunderts*, p. 121. — Inter

sodalitates ; at omnes, aut prope omnes, brevi interiere nec tantulum prodesse valuerunt (1). Ipsa Berolinensis Academia, Leibnitii consilio et auspiciis condita, nihil aut certe parum linguae contulit; fuit enim a primis initiis et usque ad nostra tempora remansit propemodum unice Scientiarum Academia (2).

Nec minus lucide tamen quam Leibnitius intellexit Morhofius quanti foret momenti, si sparsis per totam Germaniam viris doctis unus saltem praeberetur locus, ubi cunctorum studia, investigationes et tentamina quasi conglobarentur et summarentur, quantumque universa proficerèt scientia, si omnibus communi ac mutuo inter se cogitationum, inventionis, doctrinae commercio uti liceret. Itaque non sine desiderio invidiaque, ut postea Leibnitius, Galliam intuetur, communi sede ac fonte mentis praeditam, similemque Germaniae contingere optat, vehementer questus, quod in districta hactenus per tot diversas factiones gentesque et hominum conditiones ac sententias patria nulla ejusmodi constitui possit.

A Gallia nihilominus aliquid huc faciens commode assumi posse censet et, si cetera deficiant, hoc saltem studiose postulat, ut in Germania Ephemeris quaedam condatur, operi quod inscriptum est *Journal des Savants* consimilis, atque ejus lineamenta his verbis describit : « Jam XX. propemodum anni sunt, cum consilium nonnemini suppeditarem, ut singulis saltem mensibus (ut in rebus politicis fieri solet) varias de rebus literariis ex tota Europa conquisitas relationes publicaret, usus eorum opera, quibus magnum est cum viris celebribus literarum commercium ; quod non ad libros tantum, sed et ad omnia cogitata et inventa aliasque historias literarias extendi vellem » (3).

Quod erat in votis tantoque studio flagitatum prospero mox

---

cetera, illud notare liceat, quod Praschius anno 1680 conceperat et quo ambae conjungebantur agendi rationes a Morhofio et Leibnitio optatae, scilicet hinc vetera documenta edere, illinc Dictionarium et vernacularum vocum Lexica componere.

(1) Una fortasse fuit Societas dicta *Teutschübende Gesellschaft*, quae per breve temporis spatium, duce Gottschedio, aliquid majoris momenti praestiterit.

(2) De Academiis fusius disserit Morhofius in *Polyhistore*, T. I, Lib. I, cap. 14.

(3) *Polyhistor*, T. I, Lib. I, cap. 16, § 33.

eventu ei cessit : ipso enim anno, quo *Institutio* publici juris erat facta, condebantur Lipsiae *Acta Eruditorum*, duce et editore Ottone Menckenio (1), ibique, quasi ut debitum statim solveretur praemium Morhofio, litterarum et patriae amantissimo et ingeniosissimo fautori, inter praecipua germanica opera, quorum recensionem proponebant Lipsienses auctores, egregia meritaque laude imprimis cumulabatur ipsa *Institutio* (2).

(1) Cf. R. E. Prutz, *Geschichte des deutschen Journalismus*, 275 sqq.
(2) Cf. *Acta Eruditorum*, 1682, p. 271-277.

CONCLUSIO.

Quae supra disputata sunt breviter omnia contrahenti nihil fortasse erit concludendum, quod non antea ex singulis hujus dissertationis partibus plane intelligi potuerit. Jam enim constare videtur, Leibnitium, varios disciplinae ad inquirendas linguas spectantis locos tractantem, nullo pacto audacem illum et felicem rerum novarum auctorem fuisse, quem ejus assentatores depingere assueverunt. Quas autem de unaquaque re profert sententias, eas, plerumque ex diversis superioris aetatis scriptoribus, ac praecipue ex Morhofio, excerptas, novo quidem et splendido verborum habitu vestitas, proposuit, ne servata quidem saepius priorum auctorum explorata ratione aut cauta audacia.

Non est profecto quod hic iterum ex ordine memoremus, eum, vel hebraicae linguae primatum infitiantem, vel germanicae et persicae linguae necessitudinem aegre tantum concedentem et vix concessam miris omnino causis expedientem, nunc varias sermonum species in classes distribuere tentantem, nunc quaedam ad etymologicem pertinentia praecepta carptim afferentem aut etymologias obiter et temere explicantem, nihil aut dixisse aut fecisse, quod non multo ante et multo diligentius a Morhofio sit enuntiatum et confectum.

Non sane nobis in animo est, quod quidem per totam dissertationem haud ambigue monuimus, ut, quae apud utrumque similia deprehenduntur, cuncta a Leibnitio ex uno soloque Morhofio necessario desumpta esse contendamus; ostendisse satis habemus, omnia quae apud Leibnitium occurrunt jamdiu apud Morhofium exstitisse, multa utrique cum eorum aequalibus fuisse communia, nonnulla, nec contemnenda quidem, Leibnitium non nisi ex ipsa Morhofii *Institutione* haurire potuisse, Morhofio denique eam esse utique laudem tribuendam, ut omnia huc spectantia argumenta prior aut collegerit et disposuerit, aut excogitaverit atque in lucem protulerit.

Uter ea insuper cum majore universae disciplinae lucro patefecerit, nequaquam profecto ambiguum.

Libellum quidem, qui *Ermahnung* inscriptus est, circa annum 1679 composuisse Leibnitius fertur; at cum nullo alio illa aetate communicatum est id opusculum; repertum autem post duo fere saecula inter reliquas Leibnitii schedas et anno 1846 a Grotefendio editum, sero tantum viris doctis innotuit. Simili modo, opus, cui titulus est *Unvorgreifliche Gedanken*, circiter anno 1697, ut vidimus, exaratum, defuncto jam auctore, una cum ceteris *Collectaneis Etymologicis* anno tantum 1717 ab Eccardo publici juris est factum. Ambo quidem eximia Leibnitianae sollertiae et eloquentiae documenta, quibus, si de facultate bene dicendi et scribendi agatur, redundantem saepius et interdum minus concinnam Morhofii *Institutionem* comparare prorsus ridiculum sit.

Sed quorsum tandem evasere ista? Quid ad promovendam illo tempore doctrinam contulerunt? Libellus *Ermahnung* inscriptus, ut jam diximus, usque ad annum 1846 in occulto latuit, nec jam, editus tandem, ad quidquam idoneus erat, nisi, ad delectationem curiosorum, quaedam olim concinne excogitata respicientium virorum. Haud aliter, opusculum *Unvorgreifliche Gedanken* dictum, ab ipso auctore vix cum duobus tribusve familiarissimis viris communicatum, eo tempore in lucem prodiit, quo jamdiu compositae erant graves, in altera XVII[i] saeculi parte de Germanorum lingua et poesi motae, controversiae.

Morhofius autem, quae per viginti annos ex cathedra juventutem propalam docuerat in *Institutione* complexus, librum medias in ipsas lites conjecit et, composito strenuoque simul animo fretus, novas a se prolatas opiniones coram omnibus affirmavit et obtinuit. Inde statim magnus factus est animorum motus, et, (ut de peculiaribus illius operis, ad etymologiam spectantibus, meritis sileatur) novis ejus de eloquentia et poesi praeceptis labefacti, omnes vel Caesii et Weisii, vel Lohensteinii sectatores pariter manus dederunt et ad meliorem sanioremque mentem conversi sunt. Tribus insuper editionibus continuo propagatum et a multis posterioribus « Artium poeticarum » scriptoribus, praecipue ab Omeisio, excerptum opus summa per multos annos auctoritate valuit, nec parum ad id contulit ut Gottschedió Helveticisque criticis via muniretur.

Leibnitium quidem ab edendis operibus, quae de reformanda lingua germanica composuerat, ob eam causam abstinuisse nonnulli censuerunt, quia eo instituto usus sit, ut nulla nisi latino aut gallico sermone conscripta palam faceret, his tantum linguis conceptas sententias ratus late propagari et recte provenire posse (1). At si tanto restituendae patriae linguae studio flagraret et ipsi tamen linguae, quam tueri decreverat, tantum diffideret, cur quae studiose ac sollerter de ea excogitaverat vel gallico sermone, ut suum librum *Nouveaux Essais* aliosque, vel latino, ut suam *Brevem Designationem* aliaque multa opera, in lucem non protulit? Germanicam linguam latina lingua contra pervicaces antiquarum litterarum fautores defendere aggressus, non insolentius profecto fecisset, quam Dantius in suo libello *De vulgari Eloquentia* et Opitius in suo *Aristarcho* patrium sermonem ab iniquo civium suorum contemptu latina lingua vindicare conati.

Optime quidem Leibnitii laudes praedicare sibi visus est Rückertius, cum haec de utroque libello diceret : « Gerade deshalb sind sie aber um so bedeutungsvoller für Leibnitz selbst und für die Entwicklung der deutschen Sprache, weil der darin gewiesene einzig verstandesrichtige Weg von der Sprache selbst, oder von der Zeit wirklich eingeschlagen worden ist, ohne dass die Autoritæt des Propheten dabei irgend welchen Einfluss gehabt hætte » (2).

Hoc potius, nec immerito sane, inde concludendum esse fortasse reputaveris, quod ipse Rückertius ad ultimum non potest quin confiteatur, « ipsa Leibnitii opera, illo tempore, nihil ad emendandam linguae germanicae conditionem contulisse » (3), Morhofium contra, graves, quae vel ad diversas linguas diligentius inquirendas, vel ad constituendas etymologicae indagationis leges, vel ad reformandum sermonem germanicum pertinerent, quaestiones sollerter ac publice tractantem, de universa linguarum doctrina rectius instituenda optime esse meritum.

---

(1) H. Rückert, *Geschichte der neuhochdeutschen Schriftsprache*, II, 323.

(2) *Ibid.*, II, 321.

(3) *Ibid.*, II, 327 : « Insofern... kann man zugestehen, dass die gesammte deutsche Schriftstellerei Leibnitzens unmittelbar keine Wirkung auf die Entwicklung der deutschen Sprache seiner Zeit ausgeübt habe ».

INDEX

LIBRORUM IN HOC OPUSCULO CONFICIENDO ADHIBITORUM.

Acta Eruditorum. — *Lipsiae, Grossius et Gleditsch, 1682 sqq., in-4°.*

Baillet (A.). — Jugements des savans sur les principaux ouvrages des auteurs. Avec l'*Anti-Baillet* de **Ménage.** — *Paris, 1721-1730, 8 vol. in-4°.*

Barthold (F. W.). — Geschichte der Fruchtbringenden Gesellschaft. — *Berlin, Duncker, 1848, in-8°.*

Benfey (Th.). — Geschichte der Sprachwissenschaft und orientalischen Philologie in Deutschland. — *München, Cotta, 1869, in-8°.*

Bodemann (Ed.). — Der Briefwechsel des Gottfried Wilhelm Leibniz in der kœniglichen œffentlichen Bibliothek zu Hannover. — *Hannover, Hahn, 1889, in-8°.*

Boeckh (Aug.). — Gesammelte kleine Schriften. — *Leipzig, Teubner, 1858-1872, 7 vol. in-8°.*

Boeckh (Aug.). — Encyklopædie und Methodologie der philologischen Wissenschaften. Herausgegeben von E. Bratuscheck. — *Leipzig, Teubner, 1877, in-8°.*

Bolbehr (F.). — Beitræge zur Geschichte der Christian-Albrecht-Universitæt zu Kiel. — *Kiel, 1876, in-8°.*

Borinski (K.). — Die Poetik der Renaissance und die Anfænge der litterarischen Kritik in Deutschland. — *Berlin, Weidmann, 1886, in-8°.*

Bréal (M.). — Dalivus (*Mém. de la Soc. de Linguistique*, VIII, 50-51).

Bursian (C.). — Geschichte der classischen Philologie in Deutschland. — *München und Leipzig, Oldenbourg, 1883, 2 vol. in-8°.*

Cholevius (C. L.). — Geschichte der deutschen Poesie nach ihren antiken Elementen. — *Leipzig, Brockhaus, 1854-1856, 2 vol. in-8°.*

Cohn (A.). — Shakespeare in Germany. — *London, 1865, in-4°.*

Corssen (W.). — Kritische Beitræge zur lateinischen Formenlehre. — *Leipzig, Teubner, 1868, in-8°.*

Corssen (**W.**). — Kritische Nachtræge zur lateinischen Formenlehre. — *Leipzig, Teubner, 1866, in-8°.*

Corssen (W.). — Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache ; 2. Aufl. — *Leipzig, Teubner, 1868-1870, 2 vol. gr. in-8°.*

Corssen (**W.**). — Beitræge zur italischen Sprachkunde. — *Leipzig, Teubner, 1876, gr. in-8°.*

Curtius (**G.**). — Grundzüge der griechischen Etymologie ; 5. Aufl. — *Leibzig, Teubner, 1879, gr. in-8°.*

Dafert (**F. W.**). — Gottfried Wilhelm Leibnitz als Deutscher. — *Wien, Gerold, 1888, in-8°.*

Damiron (J. P.). — Essai sur l'histoire de la Philosophie en France au XVIIe siècle. — *Paris, Hachette, 1846, 2 vol. in-8°.*

Duruy (**V.**). — Histoire de la Grèce ancienne. Nouv. éd. — *Paris, Hachette, 1867, 2 vol. in-8°.*

Eccardus (J. G.) — Historia studii etymoligici linguae germanicae hactenus impensi. — *Hanoverae, Foerster, 1711, in-8°.*

Erdmann (**J. E.**) – Grundriss der Geschichte der Philosophie ; 2. Aufl. — *Berlin, Hertz, 1869-1870, 2 vol. in-8°.*

Ettlinger (**J.**). — Christian Hofman von Hofmanswaldau. Ein Beitrag zur Literaturgeschichte des XVII. Jahrhunderts. — *Halle, Niemeyer, 1891, in-8°.*

Ettmüller (L.). — Handbuch der deutschen Literaturgeschichte. — *Leipzig, 1847, in-8°.*

Fabricius (**J.**). — Historia Bibliothecae Fabricianae. — *Wolfenbüttel, 1718-1724, 6 vol. in-4°.*

Fabricius (**J. A.**). — Abriss der allgemeinen Historie der Gelehrsamkeit. — *Leipzig, 1752-1754, 3 vol. in-8°.*

Feller (J. Fr.). — Otium Hanoveranum, sive Miscellanea ex ore et schedis God. Guil. Leibnitii quondam notata et descripta. — *Lipsiae, Martin, 1718, in-8°.*

Fénelon. — Lettre à l'Académie Française. Edition classique par N.-A. Dubois. — *Paris, Delalain, 1864, in-12.*

Fick (**A.**). — Vergleichendes Wœrterbuch der indogermanischen Sprachen ; 3. Aufl. — *Gœttingen, Vandenhoeck und Ruprecht, 1874-1876, 4 vol. in-8°.*

Fuchs (**A.**). — Die romanischen Sprachen in ihrem Verhæltniss zum Lateinischen. — *Halle, Schmidt, 1849, in-8°.*

Gervinus (**G. G.**). — Geschichte der poetischen National-Literatur der Deutschen. — *Leipzig, Engelmann, 1835-1844, 5 vol. in-8°.*

Gesner (**J. M.**). — Primae lineae Isagoges ad eruditionem universam. — *Lipsiae, Fritsch, 1774, 2 vol. in-8°.*

Gœdeke (**R.**). — Grundrisz der Geschichte der deutschen Dichtung aus den Quellen ; 2. Aufl. — *Dresden, Ehlermann, 1884 sqq., in-8°.*

Gottsched (**J. Chr.**). — Beytræge zur critischen Historie der deutschen Sprache, Poesie und Beredsamkeit. — *Leipzig, Breitkopf, 1732-1744, 32 livr. in 8 vol. in-8°.*

Grimm (**J.**). — Deutsche Grammatik. — *Gœttingen, Dieterich, 1819, 1837, 4 vol. in-8°.*

Grimm (**J.**). — Kleinere Schriften. — *Berlin, Dümmler, 1865-1890, 8 vol. in-8°.*

Grimm (**J. u. W.**). — Deutsches Wœrterbuch. — *Leipzig, Hirzel, 1854 sqq., in-4°.*

Grücker (**Em.**). — Histoire des doctrines littéraires et esthétiques en Allemagne. Opitz, Leibniz, Gottsched, les Suisses. — *Paris, Berger-Levrault, 1883, in-8°.*

Guhrauer (**G. P.**). — 1646-1846. Gottfried Wilhelm Freiherr von Leibnitz. Eine Biographie. Jubel-Ausgabe. — *Breslau, Hirt, 1846, 2 vol. in-8°.*

Harsdœrffer (**G. P.**). — Specimen philologiae germanicae, continens Disquisitiones XII. — *Norimbergae, Endter, 1646, in-32.*

Haupt (**M.**). — Rede zur Feier des Leibnizischen Gedæchtnisstages (*Monatsberichte der Berliner Akademie der Wissenschaften*, 1861, 4 Juli, p. 625 sqq.)

Heinrich (**A.**). — Histoire de la littérature allemande. — *Paris, Franck, 1870-1873, 3 vol. in-8°.* — 2e éd., *Paris, Leroux, 1889, 3 vol. gr. in-8°.*

Henrici (**Chr**). — Vitae eruditorum in re litteraria virorum. — *Francofurti et Lipsiae, 1713, in-8°.*

[Cf. **Rolle**, Memoriae philosophorum.]

Hettner (**H.**). — Literaturgeschichte des XVIII. Jahrhunderts. — *Braunschweig, Vieweg, 2. ed., 1862-1881, 4 Tom. in 6 vol. in-8°.*

Heumann (**Chr. Aug.**). — Conspectus reipublicae litterariae sive via ad historiam litterariam. — *Hanoverae, Fœrster, 5. ed., 1746, in-8°*; 7. *ed., 1763, in-8°.*

Hickesius (**G.**). — Linguarum Vett. Septentrionalium Thesaurus Grammatico-Criticus et Archaeologicus. — *Oxoniae, 1705, 2 vol in fol.*

Hodermann (**R.**). — Universitætsvorlesungen in deutscher Sprache um die Wende des XVII. Jahrhunderts. — *Friedrichroda, Schmidt, 1891, in-8°.*

Hœpfner (**Ern.**). — Reformbestrebungen auf dem Gebiete der deutschen Dichtung des XVI. und XVII. Jahrhunderts. — *Berlin, Lange, 1866, in-4°.*

Hoffmann von Fallersleben (**H. A.**). — Leibnitz im Verhæltniss zur deutschen Sprache und Literatur (*Weimarisches Jahrbuch*, III, 80-118.).

Hofmannswaldau (**Chr. Hofmann von**). — Deutsche Uebersetzungen und Getichte. — *Breslau, Fellgiebels Wittib und Erben, 1710, in-8°.*

Iselin (**J.**). — Historisches und geographisches allgemeines Lexikon. Mit Supplement; 2. Ausg. — *Basel, 1729-1744, 6 vol in-fol.*

Jœcher (**Chr. G.**). — Allgemeines Gelehrten-Lexicon. — *Leipzig, Gleditsch, 1750-1751, 4 vol. in-4°.*

Jœrdens (**K. H.**). — Lexicon deutscher Dichter und Prosaisten. — *Leipzig, Weidmann, 1806-1811, 6 vol. in-8°.*

Kade (**R.**). — Leibniz und die deutsche Sprache (*Wissenschaftliche Beilage der Leipziger Zeitung, 1889, Nr. 57.*).

Kiefeker (**Joh.**). — Bibliotheca eruditorum praecocium. — *Hamburgi, 1717, in-8°.*

Kluge (**Fr.**). — Etymologisches Wœrterbuch der deutschen Sprache; 5. Aufl. — *Strassburg, Trübner, 1894, gr. in-8°.*

Koberstein (**A.**). — Grundriss der Geschichte der deutschen Nationalliteratur; 5. Aufl. bes. von K. Bartsch. — *Leipzig, Vogel, 1872-1873, 5 vol. in-8°.*

Koberstein (**A.**). — Vermischte Aufsætze zur Literatur Geschichte und Aesthetik. — *Leipzig, Barth, 1858, gr. in-8°.*

Krause (**G.**). — Der Fruchtbringenden Gesellschaft æltester Erzschrein. — *Leipzig, Dyk, 1855, in-8°.*

Lauremberg (**Joh.**). — Scherzgedichte herausg, von **J. M. Lappenberg**. — *Stuttgart, 1861, in-8°.* [*Bibl. des Literarischen Vereins, Publ. 58.*].

Leibnitii (Godfr. Guil.) Collectanea Etymologica. Cum praefatione **Joh. Georgii Eccardi**. — *Hannoverae, Fœrster, 1717, 2 vol. in-8°.*

Leibnitii (**G. G.**) Epistolae ad diversos. E manuscriptis auctoris... divulgavit **Christ. Kortholtus**. — *Lipsiae, Breitkopf, 1734-1742, 4 vol. in-8°.*

Leibnitii (**G. G.**) Opera omnia nunc primum collecta..... studio **Lud. Dutens**. — *Genevae, de Tournes, 1768, 6 vol. in-4°.*

Leibnitz's Deutsche Schriften herausg. von **G. E. Guhrauer**. — *Berlin, Veit, 1838-1848, 2 vol, in-8°.*

Leibniz (**G. W.**). — Ermahnung an die Teutsche. Herausg. von **K. L. Grotefend**. — *Berlin, 1846, in-8°.*

Leibniz. — Œuvres philosophiques publiées par **A. Foucher de Careil**. T. 1-7. — *Paris, Didot, 1859-1875, 7 vol. in-8°.*

Leibniz. — Œuvres philosophiques. Avec une introduction et des notes, par **Paul Janet**. — *Paris, Ladrange, 1866, 2 vol. in-8°.*

Lemcke (**K**). — Von Opitz bis Klopstock. Ein Beitrag zur Geschiste der deutschen Dichtung; 2 Aufl. — *Leipzig, Spemann, 1882, in-8°.*

Lessing (**G.-E.**). — Werke herausg. von **R. Boxberger** [Kürschners Deutsche National-Litteratur]. — *Berlin und Stuttgart, Spemann, (s. d.), 14 vol. in-8°.*

Lévy-Bruhl (**L.**). — L'Allemagne depuis Leibniz. Essai sur le développement de la conscience nationale en Allemagne, 1700-1848. — *Paris, Hachette, 1890, in-16.*

Liliencron (**Von**). —Morhof (*Allgemeine Deutsche Biographie*, XXII, 236-242).

Massmann (**H.-F.**). — Gotthica Minora (*Zeitschrift für deutsches Alter thum*, I, 345-366).

Mœller (J.). — Cimbria literata, sive historia ducatus utriusque Slesvicensis et Holsatici. — *Havniæ, 1744, 3 vol. in-fol.*

Moréri (**L.**). — Le grand Dictionnaire historique. Avec supplément. Nouv. éd. — *Paris, Mariette et Lemercier, 1725-1735, 8 vol. in-fol.*

Morhof (Daniel Georg). — Teutsche Gedichte. — *Kiel, Reumann, 1682, in-8°.*

Morhof (**Daniel-Georg**). — Unterricht von der Teutschen Sprache und Poesie, deren Uhrsprung, Fortgang und Lehrsætzen. Wobey auch von der reimenden Poeterey der Ausslænder mit mehren gehandelt wird. — *Kiel, Reumann, 1682, in-8°.* — 2. ed. : *Lübeck und Franckfurt, Wiedenmeyer, 1700, in-8°.* — 3. ed. : *Lübeck und Leipzig, Kloss und Wiedenmeyer, 1718, in-8°.*

Morhofii (**D.-G.**) De Patavinitate Liviana Liber. Ubi de Urbanitate et Peregrinitate sermonis latini universe agitur. — *Kilonii, Reumann, 1685, in-4°.*

[Denuo editus in libro cui titulus est : *Morhofii Dissertationes academicae et epistolicae.*]

Morhofii (**D.-G.**) Polyhistor, sive de notitia auctorum et rerum commentarii. — *Lubecae, 1688, in-4°.* — Editiones posthumae : *Lubecae, 1708, (1714), 1732, 1747, 2 vol. in-4°.*

Morhofii (**D.-G.**) Dissertationes academicae et epistolicae. — *Hamburgi, Liebernickel, 1699, in-4°.*

Müller (**Max**). — La Science du langage. Ouvrage... traduit par **Georges Harris** et **Georges Perrot**; 2e éd. — *Paris, Durand et Pedone-Lauriel, 1867, in-8°.*

Müller (**Max**). — Nouvelles leçons sur la science du langage. Traduit par **Georges Harris** et **Georges Perrot.** — *Paris, Durand et Pedone-Lauriel, 1867-1868, 2 vol. in-8°.*

Neff (**L.**). — Gottfried Wilhelm Leibniz als Sprachforscher und Etymologe. — *Heidelberg, Avenarius, 1870-1871, 2 fasc. in-8°.*

Neff (L.). — Ueber die Abfassungszeit von Leibnizens Unvorgreiflichen Gedanken. — *Durlach, Dups, 1880, in-4°.*

Neumarck (Georg.). — Der Neu-Sprossende Teutsche Palmbaum. — *Nürnberg, Hoffman, (1668), in-8°.*

Neumeister (M. E.) — Specimen dissertationis hist.-crit. de poetis germanicis hujus saeculi praecipuis — *Witteberqae, 1704, in-4°.*

Nicéron. — Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres dans la république des lettres. — *Paris, Briasson, 1728-1745, 43 vol. in-12.*

Omeis (Magnus Daniel). — Gründliche Anleitung zur Teutschen accuraten Reim-und Dicht-Kunst. — *Nürnberg, 1704, in-8°.*

Palm. (H.). — Beitræge zur Geschichte der deutschen Literatur des XVI. und XVII. Jahrhunderts. — *Breslau, Morgenstern, 1877, in-8°.*

Paulsen (F.). — Geschichte des gelehrten Unterrichts auf den deutschen Schulen und Universitæten vom Ausgang des Mittelalters bis zur Gegenwart. — *Leipzig, Veit, 1885, in-8°.*

Perrot (G.) et **Chipiez (Ch.)**. — Histoire de l'Art dans l'antiquité. — *Paris, Hachette, 1882-1894, 6 vol. in-4°.*

Pezzi (Domenico). — Introduction à l'étude de la science du langage. Trad. par **V. Nourrisson**. — *Paris, Sandoz et Fischbacher, 1875, in-16.*

Pfleiderer (Edmund). — Gottfried Wilhelm Leibniz als Patriot, Staatsmann und Bildungstræger. — *Leipzig, Fues, 1870, in-8°.*

Pœkel (W.). — Philologisches Schriftsteller-Lexicon. — *Berlin, Krüger, 1882, in-8°.*

Prantl (K.). — Gottfried Wilhelm Leibniz (*Allgemeine deutsche Biographie*, T. 18, p. 172-209).

Prutz (R.). — Geschichte des deutschen Journalismus. I (Unic.). — *Hannover, Kius, 1845, in-8°.*

Ratjen (H.). — Daniel Georg Morhof (*Jahrbücher für die Landeskunde der Herzogthümer Schleswig-Holstein und Lauenburg*, I (1858), 18-32).

Ratjen (H.). — Zur Geschichte der Kieler Universitæts-Bibliothek. — *Kiel, Mohr, 1862-1863, 2 fasc. in-4°.*

Raumer (Karl von). — Der Unterricht im Deutschen ; 3. Aufl. — *Stuttgart, 1857, in-8°.*

Raumer (Karl von). — Geschichte der Pædagogik vom Wiederaufblühen klassischer Studien bis auf unsere Zeit ; 5. Aufl. — *Gütersloh, Bertelsmann, 1880-1890, 4 vol. in-8°.*

Raumer (R. von). — Geschichte der germanischen Philologie, vorzugsweise in Deutschland. — *München, Oldenbourg, 1870, in-8°.*

Reichard (E. C.). — Versuch einer Historie der deutschen Sprachkunst. — *Hamburg, Martini, 1747, in-8°.*

Rolle (**R. H.**) — Memoriae philosophorum, oratorum, poetarum, etc... — *Rostock, 1710, in-8°.*

[Recus. sub titulo : Chr. Henrici, Vitae eruditissimorum in re litteraria virorum ; cf. Henrici (Chr.)].

Rückert (**Heinrich**). — Geschichte der neuhochdeutschen Schriftsprache. — *Leipzig, Weigel, 1875, 2 vol. in-8°.*

Scherer (**W.**). — Geschichte der deutschen Litteratur. — *Berlin, Weidmann, 1883, gr. in-8°.*

Schmarsow (**A.**). — Leibniz und Schottelius. Die Unvorgreiflichen Gedanken untersucht und herausgegeben. — *Strassburg, Trübner, 1877, in-8°.*

Schmidt (**Julian**). — Geschichte des geistigen Lebens in Deutschland von Leibnitz bis auf Lessings Tod. — *Leipzig, Grunow, 1862-1864, 2 vol. in-8°.*

Schmidt (**Julian**). — Geschichte der deutschen Litteratur von Leibniz bis auf unsere Zeit. — *Berlin, Hertz, 1886-1889, 4 vol. in-8°.*

Schottel (**Justus Georg**). — Ausführliche Arbeit von der Teutschen Haubt-Sprache. — *Braunschweig, Zilliger, 1663, in-4°.*

Schultz (**H.**). — Die Bestrebungen der Sprachgesellschaften des XVII. Jahrhunderts. — *Gœttingen, Vandenhoeck und Ruprecht, 1888, in-8°.*

Skeat (**W.**). — An etymological Dictionary of the english language. — *Oxford, 1888, in-4°.*

Socin (**A.**). — Schriftsprache und Dialekte im Deutschen nach Zeugnissen alter und neuer Zeit. — *Heilbronn, Henninger, 1888, in-8°.*

Tacite. — Germaniae Liber. Ed. **H. Schweizer-Sidler**. — *Turici, Orelli, 1877, gr. in-8°.*

Thomas (**Christian**). — Gedanken oder Monatsgespræche. — *Halle, Salfeld, 1688 sqq., in-8°.*

Tittmann (**Jul.**). — Die Nürnberger Dichter-Schule. Harsdœrfer, Klaj, Birken. — *Gœttingen, Dieterich, 1847, in-8°.*

Tomaschek (**W.**). — Die Goten in Taurien. — *Wien, Hœlder, 1881, in-8°.*

Treitschke (**R.**). — Ueber Daniel Morhof und seinen Unterricht von der deutschen Sprache und Poesie (*Literarhistorisches Taschenbuch* hrsg. von R. E. Prutz, VI [1848], 439-460).

Voigt (**G.**). — Die Wiederbelebung des classischen Alterthums ; 2. Aufl. — *Berlin, Reimer, 1880-1881, 2 vol. in-8°.*

Volksbuch für das Jahr 1847, mit besonderer Rücksicht auf die Herzogthümer Schleswig, Holstein und Lauenburg ; 4. Jahrgang. — *Altona, Lehmkuhl, 1847, in-8°.*

Voltaire. — Œuvres complètes. Nouv. éd., publiée par **L. Moland**. — *Paris, Garnier, 1877-1885, 52 vol. in-8°.*

Wachler (**L.**). — Geschichte der historischen Forschung und Kunst seit der Wiederherstellung der literærischen Kultur in Europa. — *Gœttingen, 1812-1820, 2 vol. in 5 part. in-8°.*

Wackernagel (**W.**). — Geschichte der deutschen Litteratur ; 2. Aufl. besorgt von **E. Martin.** — *Basel, Richter, 1879-1894, 2 vol. in-8°.*

Waldberg (**Max von**). — Die deutsche Renaissance-Lyrik. — *Berlin, Hertz, 1888, in-8°.*

Weise (**Christian**). — Curiœse Gedancken von Deutschen Versen ; 2. ed. — *(Leipzig), Gleditsch, 1693, in-8°.*

Weise (**Christian**). — Die drei ærgsten Erznarren in der ganzen Welt. Roman. Abdruck der Ausgabe von 1673. — *Halle, Niemeyer, 1878, in-16.*

Weise (**Christian**). — Der Grünenden Jugend nothwendige Gedancken. — *Leipzig, Gleditsch, 1684, in-8°.*

Windelband (**W.**). — Gottfried Wilhelm Freiherr von Leibniz (*Allgemeine Encyclopædie der Wissenschaften und Künste hrsg. von J. S. Ersch und J. G. Gruber*, 2. Sektion, Theil 43, p. 2-12).

Witkowski (**G.**) — Diederich von dem Werder. Ein Beitrag zur deutschen Litteratur-Geschichte des XVII. Jahrhunderts. — *Leipzig, Veit, 1887, in-8°.*

Wolff (**Hans**). — Der Purismus in der deutschen Litteratur des XVII. Jahrhunderts. — *Strassburg, Heitz, 1888, in-8°.*

Zedler (**J.-H.**). — Grosses vollstændiges Universal-Lexikon aller Wissenschaften und Künste. — *Halle und Leipzig, Zedler, 1732-1754, 68 vol. in-fol.*

Zeller (**Ed.**). — Geschichte der deutschen Philosophie seit Leibniz; 2. Aufl. — *München, 1875, in-8°.*

VIDI AC PERLEGI,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
pridie Idus apr. ann. MDCCCXCIV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi
Decanus :
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR,
Academiae Parisiensis Rector :
GRÉARD.

CORRIGENDA.

Pag. 3.	l. 5	*Pro* :	atterreret,	*Lege* :	attereret.
»	18		grôsseste,		grœsseste.
»	19		hôchsten,		hœchsten.
4	17		prefecto,		profecto.
»	30		liboriores,		liberiores.
5	21		Wôrtern,		Wœrtern.
7, n. 2,	3		conjuctas,		conjunctas.
10	1		europaeeis		europaeis.
12	5		nâhern,		næhern.
17, n. 1	1		Raumeri,		Raumer.
29	16		staitm,		statim.
30	1		tantummedo,		tantummodo.
»	5		iposque,		ipsosque.
36	14		nunqnam,		nunquam.
37	1		latina,		latino.
41	15		vocot,		vocat.
62	27		autiquo,		antiquo.
84, n. 4,	2		agisse,		egisse.
87	29		*sperbeeri*,		*sperbeer*.
90	22		datum,		datur.
91	23		quanquam,		quamquam.
95	21-22		Gedanken, gerathen		Gedanken gerathen.
97	17		veteramque,		veteremque.
144	21-22		consonantibus,		consonanti.
160	4		Spracquell,		Sprachquell.
174	34		utentur,		utuntur.
»	»		Leibnitium,		Leibnitium.
188	16		etymoligici,		etymologici.

INDEX RERUM

PARS III.

De Morhofii et Leibnitii studiis ad etymologias inquirendas spectantibus.

PARS IV.

Quam curam Morhofius ad linguam germanicam contulerit.

3 2044 020 045 142

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

WIDENER
FEB 10 1999
BOOK DUE